

BIBLIOTECA
NAZIONALE
VITTORIO
EMANUELE
9
18 MG
45

VARII
EVROPAE
EVENTVS.

explebit Æneid.
Imperio
Regnet Fmonte regali

VARII EVROPAE EVENTVS

COMPENDIARIE DESCRIPTI

Ab anno 1643. vsque ad annum 1659.

AVCTORE

FRANCISCO VILIOTTO

Ciue s & Medico Montisregalis

Coll. Rom. Soc. Jes.
Bibl. secr. Can. Inscript.

MONTEREGALI Typis Francisci Mariæ Gisslandi 1667. *Superiorum permissu.*

LVDOVICO XIIII.

GALLIARVM,

ET NAVARRÆ

REGI

CHRISTIANISSIMO

Franciſcus Viliottus Fel.

DEDECET exiguo munere maximũ adire Regem. Oblata inter, & accipientẽ quædam exigitur proportio, quæ neglecta parit deformitatem; Idcircò ampliſſimo Regi exhibenda paria ſunt.

Sed quæ ingenij vis opus te dignum conficiet? Tanta, ac tam diuersa sub idem tempus exeris volumina rerum, vt quamcunq; mentẽ oppressuræ sint, quę eas simul totas velit excutere. Per partes gesta tua traducẽti aggredienda sunt: & quamuis eodem tempore contigerint, ita partienda, ac si diuersis accidissent temporibus; ne factorũ multiplicitas obruat scribentem. Vt intelligas, faciliùs esse tibi multa simul egregia pręstare facinora, quàm humanus intellectus ea valeat digerere; nec posse nisi singillatim expendi, vt congeries, & altitudo rerũ sensim dilatata introspici queat, & omni amota confusione, ac obscuritate delineari.

Dum antiquorum, & recentium Imperatorum euoluo monumenta (de his loquor, quos natura dotibus, officio,

quod

quod præstabant, paribus condecorauit) omnes inuenio in adolescentia, & iuuentute vigore animi plus valuisse, quam mentis luminibus; mox in ætate consistenti, & senectutis exordio, castigato feruore, qui plerumq; magnanimitatem impetuosam producit, vsu quoque rerum eruditis mentibus irrepsisse prudentiam; & tunc dumtaxat administrationem omnibus absolutam numeris instituisse; imò, cum ij oculos ad gesta vel adolescentiç, vel iuuentutis retorquerent, multa offendisse, quç parum munita consilio, emendationẽ potiùs, quàm laudem mererentur.

Quod istis per quatuor ætatum decursionem consequendũ natura dedit, adolescẽtiç tuæ plenissimè indulsit. Ex hausisti Adolescens vniuersas humanę naturę opes, cum vltimos, & perfe-

ctiſſimos prudentiæ gradus, quos illa vel cæterioribus in tertia, quartaq; reſeruauit ætate, in prima conſcendiſti.

Omitto, quę armatus patraueris, eo quod, licet cordata, excelſa, & prę illa ętatis teneritudine admodũ relucẽtia, ſociũ tamen incurrere in antiquitatis receſſu fortaſſe poterunt; Venio ad ea, quæ omninò ſine exẽplo ſunt. Mors Cardinalis Mazarini erexerat omnium animos accipiẽdi auidos, quẽ tibi ductorem eligeres, ſatis tuũ cõmendaturos conſilium, ſi promouiſſes virum earũdem virtutum potentẽ, quas Pater tuus in Richelio, & Mater in Mazarino probauerat, cum repentè vulgatur te primum Galliarum Miniſtrum agere. Diù nouitas rei vniuerſę Europæ mentes ſuſpendit; dein ſtupor occupauit: obſeruantes te vix ſecundum ſupra vi-

geſi-

geſimum explentem annum, nullius laboris perręſum, tanta aſſiduitate, & ingenij acumine cuncta pręuidere, vt nõ modo tuereris compoſita, ſed ad ęgra ſananda, eueſtigiò te conuerteres, luſtitiam multis in partibus labefactatam inſtaurans, rerum tuarũ, & religionis iacturas ſarciens, labes, quas vel indulgentia pręteritorum Regum, vel belli malitia profundas excitauerat, penitùs obſtruens.

Nec minùs externa adminiſtrationẽ tuã nobilitarunt. Lotharingia fęlici negotiatione expugnata: nunciorũ tuorũ vbicunque terrarũ iniuriæ vindicatę. Dunichercha ab Anglorũ manibus (rarũ dictu) mutuo erepta conſenſu: noua excitata cõmercia, & Gallia in Affricam extenſa: Turcæ in Vngaria profligati: Piratę in mediterraneo contuſi:

Hol.

Hollandi protecti, & ab imminente aſſerti ruina; Aſſiduę Principũ Legationes ſuffragium tuum, & amicitiam implorantium planè conuincunt te non minùs Regni tui, quàm Europę axem circumducere.

Plus auctoritatis, plus virium, plus exiſtimationis in hoc pacifico tuę adminiſtrationis ſexẽnio nactus es, quàm Maiores tui per bella à Sęculis congeſta obtinuerint. Et tamen bellorum gloria inter milites, Duces, & Imperatorem diſpertitur; at hęc, quam conſultiſſima rerum tuarũ procuratione conſecutus es, nec fortunã comitẽ admittit. Quãtacunque eſt, quæ immenſa certò eſt, ex vberanti regulatę, ſubactæque tuæ mentis diſtillat conſilio.

Quod vlteriorem redolet prudentiã, pacem ita coluiſti, vt bellicã diſciplinã re-

retinueris. Haud ignarus etiã maximos Reges ex insperato bellis subijci, militiã tuã in pace erudiuisti, ac si bellũ ingrueret. Assiduis militaribus exercitationibus præstitisti, ne in tuorum animis militum Martialis vigor, & armorum peritia consenesceret. Quicquid emolumenti, vel ád tui, vel tuorũ subditorum commodũ offerebat pax, solertissimè collegisti. Quicquid detrimẽti Pacis otium inferre Regnis diuturna quiete, & desidia marcẽtibus solet, præcauisti, ac indefessâ sollicitudine vindicasti. Hinc factum est, vt (cum hoc anno Reginæ Vxoris tuę iura inuitũ te, & omnes conseruãdæ Pacis vias frustrà indagantem ad arma vocauerint) expertissimus Imperator cum veteranis Exercitibus ad bellum prodieris. Nihil humilis ex longa Pace; imò instauratas

non

nō minùs vires, quàm obfirmatos proferens animos, bellatricem Flandriam decuſſiſti. Superioribus Imperatoribus in hac munitiſſima Regione belligerā-tibus vnius Ciuitatis expugnationē annua, & fęliciſſima conferre vix poterat expeditio. Tu vniuerſę Prouincię Triumphator paucis mēſibus bellū penè profligaſti.

Cum igitur meliorem partem tuorū geſtorum nondum attingam, & reliqua infirmiter diſpenſem, temerarium profectò eſt minimum hunc libellum tibi nuncupare. Sed mihi animum fecit id audendi Matris tuę nunquam ſatis celebrata tutela, quam prędens Hiſtoria comprehendit. Multas legimus tutrices agitatas, reiectas, calamitatibus obrutas, nullam nec acriùs concuſſam, nec fęliciùs illa ab ærumnis emerſiſſe. Poſ-

ſunt

ſunt ipſius conſtantia, fortitudo, magnanimitas, & conſiliorum proſperitas, tanquam antiqua aſpici exemplaria, & futuris tutricibus ad benè moderandum obijci; licet enim vna tua educatio illius tutelã affatim illuſtret, infinita propemodum, & luculentiſſima ſuppetunt argumenta, quę eius procurationem concelebrant.

Tantę igitur Reginę, cuius animi, & corporis lineamẽta exſcripſiſti, obſequiũ, reuerentia, & grata memoria id mihi commodum præſtabit, vt huius temeritatis veniam apud te facilè impetrem, & cariſſimi nominis occurſus, in quod frequenter incides, menti tuæ fucũ quodammodo faciens, eidẽ ſtyli lapſus, vel hiſtoriarũ ſurripiat errores. Monteregali Calend. Septem. 1667.

AMI-

AMICE LECTOR.

TIBI credo, antequam loquaris, præstantissime lector: Nimirum hæc omnia, quæ in hoc libro narrantur, auribus tuis, vel inuitis centies obstrepuisse. Nunquam enim bellorum Euentus tantis hominum studijs vel accepti, vel vulgati sunt, ac isti, de quibus dicere aggredior. Imò non me latet te eos cum omnibus circumstantijs percepisse: Non dumtaxat obsidiones Arciũ, & fusiones Exercituum cum suis effemeridibus in lucem datæ sunt; sed parua quoque prælia, & casuales armorum occursus profusè expressi prodierunt. Quæ tamen minutissima militariũ successuum delineatio sicuti sub idem tempus, quo accidunt (cũ ferueant pectora & effræni quadam æstuent res præsentes noscendi voluptate) curiosos delectat; ita post certum temporis decursum, feruida illa animi affectione refrigescente, legentes delassat. A minutis abhorret Posteritas; quia scribendi prolixitas moratur, non instruit legentem. Speraui idcircò te libenter accepturum esse

eſſe hos meos qualeſcunque labores, qui lapſantem refricantes memoriam eam minutiſſima narratione non degrauabunt : Nec puto illorũ faſtidituros eſſe Poſteros, quibus vnam veritatem nullo deformatã obiçient pigmento. Simpliciſſima igitur hæc rerũ expoſitio, nec adeò conciſa, vt euentus obtenebret; nec ita diffuſa, vt legentem diſtringat, mihi opportunior viſa eſt; cum ad præſentium retentandam memoriam; tum ad honeſtam Poſterorum erudiendam; paſcendamque curioſitatem : Vale.



EX

EX mandato Reuerendiſſimi Patris Magiſtri F. Caroli Camilli Inquiſitoris Generalis Montiſregalis, librum, qui inſcribitur Varij Europæ Euentus cõpendiariè deſcripti Auctore D. Franciſco Vilotto; Ego Joannes Michael Granery Soc. Jeſu Theologus, accuratè legi, cumq; nihil in eo à fide orthodoxa abſonum, aut ſanis moribus non cõſentaneũ, imò plurimũ indè vtilitatis legẽtibus emanaturũ aduerterim, imprimi poſſe cenſeo. Montiregali 15. Maij 1667.

Joannes Michael Granery Soc. Jeſu

Imprimatur

Fr Carolus Camillus de Aſt. Inquiſitor Montiſregalis

Vidi, & non diſſentio imprimi

Ioannes Ioſeph Mallianus Iudex.

VARII EVROPAE EVENTVS COMPENDIARIÈ DESCRIPTI.

LIBER PRIMVS.

Cap. I.

Vitæ, & Mortis LVDOVICI XIII. Galliarum Regis Epilogus. Conditio teſtamenti. Regina Tutrix declaratur. Cardinalis Mazarinus Primus Miniſter eligitur.

1643.

ANNVS Milleſimus ſexenteſimus quadrageſimus tertius decretorius fuit LVDOVICO XIII. Galliarum Regi: diuturna tabes putrido ergaſtulo eum liberauit animum, qui ſupra anteactos Reges, vel in turbido Imperio vota ſua pleniſſimè ſaturauit. Quippè qui vix pubertatem egreſſus impotentẽ Matris dominationem compeſcuit: collectas Principum manus recidit, obedientiã ſibi apud

refractarios parauit; mox adultus in ipso adolescentiæ flore Rupellam deflorauit nouo obsidionis genere, ante illam diem nondum viso. Primus mari habenas imposuit, vt intelligerent Hæretici, cum elementa frenum acciperent, lupatum sibi admittendum esse

Mox in Fratrem arma vertere coactus fautores belli puniuit in vno Memorantij capite spe suorum inimicorum decollatâ. Nam hunc Regem tarditas procreandi opportunum faciebat Insidijs, cum nullum successorem paternæ auctoritatis vindicem turbatores inspicerent.

Intestinis tumultibus compressis, auctoritate Regiâ abūdè vindicatâ eum eucstigiò euocarunt externa; Contra Regem Hispaniæ, & Imperatorem bellum administrauit quàm felicissimè. Alsatiam cum arce Brisaci subegit. Perpinianum, & Ruscinonensem Comitatum expugnauit. Cataloniam in tutelam primùm, deinde in deditionem accepit. Atrebatium cum meliori Artesiæ parte suum fecit. Luceburgium, Mediolanensem Ducatum, & Comitatum Burgundiæ conculcauit, plurimis arcibus in potestatem redactis, nec non Lotaringiâ Duce exploso potitus est. Casale propugnauit, & præsidio muniuit, antiquos Galliæ limites ad Iberum, Padum, & Rhenum prouexit.

Nec Cardinalis Richelij ductus huic officere gloriæ

glorię potest; nam satis est Regem prudentiores probare ministros, sanioribus hærere consilijs, se ducem agendis præbere, deliberationes, vel imperio, vel manu ad exitum perducere. Elucebāt impensiùs hæc præclara facinora in animo nullâ labe tentato, qui non odio, non irâ, nec ullo voluptatū excessu commouebatur.

Adeò opportunè vtebatur dissimulatione, vt illam Regiam virtutem faceret; Nam dominandi ars multa exigit, quæ cum à virtute videantur aliena, pro virtutibus tamen bellissimè vsurpantur.

Admonitus à Confessario naturam concedere morbo, & supremum instare diem, noluit intestatus abire. Instituit Reginam Delphini Gubernatricem, & Rectricem Imperij, cui adiunxit Ducem Aurelianensē fratrē, Principem Condæum, Cardinalem Mazarinum, Cancellariū, Quæstorē, Chauignios Patrem, & Filium, decreuitque cuncta per consilium horum omnium sanciri; ita vt maior calculorum numerus minorem excluderet, & singuli Consiliarij paritate votorum cum Reginâ concurrerent, tantique ponderaret votum subditi, ac Imperantis.

Hoc decretum prodebat arcanum Imperij, vimque Principatus dissoluebat. Hic Rex, qui tantùm pro Monarchiâ stabiliendâ viuens insudauerat, moriens Rempublicam instituebat, & quia Monarcham nondum Imperio factum

relinquebat, Monarchiæ maieſtatem in multos imperantes diſſipatam eneruabat. Contemnendum non erat hoc decretum; imò neceſſarium, ſi Regina preſens non fuiſſet, ſed in Monarchico Imperio, quando vnius humeris imponi auctoritas commodè poteſt, perniciosum eſt in plures deflectere. Nam in multos diſtributum verè flectitur dominationis robur; præterquamquod ærumnoſum multotiès fuit, & ſibi, & Principi ſubditum aſſueſcere Imperio. At quid vltrà? Infirmitèr agebat infirmus: adeò verum eſt à corporis ægritudinibus frequentiſſimè ipſum infirmari animum: licet adhuc hęream, an hæc deliberatio ab ipsâ Regis mente, vel alterius impulſu emanarit.

Expirato Rege nemo ex legatarijs auſus eſt tàm opulentum legatum adire: videbatur ſibi vnuſquiſque Regiæ auctoritatis partem ſubditum nimis prægrauantem ſubire, ſi hoc prodigum donum vſurpaſſet. Erubuere omnes de voti paritate cum Reginâ contendere; ideò quiſque oneroſæ renunciauit hęreditati. Placuit quidem cunctis ſententiam ſuam de rebus agendis proferre, ſed deliberationes è nutu Reginæ iubentis haurire.

Hæc vltima Regis voluntas omninò antiquata eſt. Vna Regina ad ſupremam adm niſtrationem Parlamenti Decreto, Principum conſenſu, contranitente nullo electa Aurelianenſem

nenſem Ducem Locumtenentem Generalem Regni, & Armorum dixit, poſt quem Principem nominauit Condæum.

Hiſce fulcris egregiè videbatur firmata Regis auctoritas, & nullus relictus ſeditionibus locus, diſpenſatis honoribus ad æquitatis menſuram. Nam Condæus Princeps, nec non Aurelianenſis Dux ſatis abundè ruperant nimbum ſuum, & iuuenilibus æſtibus indulſerant, qui iamdudum deferbuerant in Condæi ętate iam graui, & laborante valetudine.

Aurelianenſis ſimultates cum Richelij morte perierant, & infęlix præteritorum motuum euentus pacauerat animum, nihil magis anhelantem, quàm manum quoquomodo regiminis clauo admouere, & exercitus in hoſticum ductare, & palmas colligere, & armorum ſtrepitu bellicos ſpiritus enutrire. Nam filiorum virilis ſexus defectus, nec ad Prouinciarum petitionem, nec ad obtinenda arcium præſidia, nec ad factionem ampliandam ſtimulabat mentem ſolâ auctoritate abundè ſaturam. His accedebat Reginę Maieſtas, & prudentia, & benignitas, quæ, ſi in tàm conſtanti ſerenitate congregari nubes potuiſſent, eas extemplò diſſipauiſſet.

Optio ſupremi Miniſtri diù cunctantem Reginam habuit, & verè, ſi qua in re, potiſſimùm in Miniſtri promotione debet Principis erotari prudentia. Cardinalem Mazarinum Cardinalis

Richelius succeſſorem ſibi deſtinauerat, & Rex in ſuo Teſtamento Richelij iudicio incurrerat: eumq; Reginæ commendauerat. Inſuper Cardinalis Mazarinus ijs ornabatur dotibus, quas etiam pro temporis, & loci conditione miniſterij culmen poſcebat: dignitas non inferior illâ Principum, cum quibus agendum ei quotidie erat, & reſpectum ſibi, & auctoritatem ſublimi illi officio comparabat: dexteritas in ſolemnioribus promouendis negotijs: capacitas digerendi, & coquendi ardua: externus, ideò nulli ſuſpectus: nullis in Gallię Regno conſanguineis addictus, quorum agmen, inopia, ſollicitudo, odia, amicitiæ à recto deducere Miniſtrum poſſunt, vel benignum vnis, alijs difficilem reddere; ideò lanx omnibus æqua, in iſtius exaltatione promittebatur.

Prætereà interioribus Regni curis iam diù inſertus, in præcipua Monarchię ſecreta à Richelio inductus, fidem, ingenuitatem, conſtantiam, & aptitudinem in tot eximijs, & ponderoſis negotiationibus approbauerat Gallię. Exinde factum erat, vt Cardinalitiam amplitudinem, & in præteritorum benefactorum præmium, & in futurorum authoramentum Regis commendationibus referret acceptam, qui porrò voluerat, vt ad ſacri Fontis ablutionem Delphino aſſiſteret, & hoc neceſſitudinis vinculo arctiùs ſibi, futuroque Regi deuincire.

Ex

Ex his videbàtur malè sibi consulta Regina, si tantum hominem despexisset. Quare cum diutiùs prudentię oculos hinc inde coniecisset, eos nouissimè ad Cardinalem defigens, electione quasi necessariâ in ministerij apice collocauit.

His veluti quatuor elementis, nimirum Reginâ, Aurelianensę Duce, Condæo Principe, & Cardinale Mazarino administratio Regni Gallici componebatur, qui se se inuicem moderatione quadam adeò refrangebant, vt initio grata, & lęta excitaretur temperies, cuius ope alimenti concoctio, distributio, & digestio in vastissimo Galliarum Corpore ad miraculum procedebat, quaque parte suum adamussim munus obeunte, pręter omnium expectationem crescebat in Imperij visceribus robur, & negotiorũ facies nitidum, viuidũq; colorem ostentabat.

Quo modo se gesserit Regina cum fœderatis, & quæ essent opes Principum Europæ.

Cap. II.

1643.

PRIMVM Reginę faciuus, & excellens, & Regno compendiosum fuit excutere à foederatis formidinem, quam Regis mors inuexerat; Nam Galliæ sociorum mentibus timores

non leues obuersabantur; ne scilicet Franciæ pensiones imposterum malignè præberet, aut incuriâ, aut illiberalitate regnantium, vel defectu pecuniæ populo in laxo Imperio detrectante tributa. Verebantur etiam, ne Regina muliebri imbecillitate abhorreret ab armis, malletque pacis leges à Fratre, & Imperatore accipere, quàm dare; ac socios belli tricis inescatos omittere.

Iam hæc opinio Hispanorum artibus diffamabatur, vt socios abalienarent, quos etiam opimæ pacis compendio impleuissent, si eos à foedere cum Galliâ inito potuissent diuellere, in quam & ipsi, & Imperator auidissimè incubuissent; grande enim emolumentum pupillaris Regis ætas ijs pollicebatur, si vniuersam Germaniam bello vacuam, prædis inhiantem in opulentam Galliam concitassent. Sed Ministrantium prudentia maturauit huic malo lęthali, & publicè noxio, antequam serperet, obuiam ire. Pensiones solutę, obfirmata foedera, nulla pacis mẽtio, nisi ex commodo, & voluntate sociorum auscultata; viriliter in hoc, & summâ fide cum amicis egit Regina, summâ quoque prudentiâ: Nam si pacis mentio clam inita fuisset, eam maximo cum Gallię dedecore, & iactürâ prodidissent Hispani, vt socios disiungerent; cum nec Suediam, nec Hollandiam Hispanorum Monarchia formidet: hæc sub vno incumbentis

Galliæ

Galliæ pondere gemit, quo ſemel excuſſo leui momento obrueret vniuerſos.

Quia ad id loci peruenimus; conſonũ eſt Galliarum ſocios inſpicere, mox vaſtiſſimos Imperatoris, & Hiſpaniarum Regis dominatus percurrere, vt clarior procedat Hiſtoria; ne coacti ſimus ſemel dicta refricare; offuſcatis enim principijs tenebroſa euaderet rerum cognitio, morareturque legentem.

Germaniam inundauerat Suetica gens, arcto, & inuiolato foedere Gallijs aſſociata, iam inde cum Guſtauo Rege percuſſo. Ij Germaniæ vires attriuerant, euocatiſque ad ſe melioribus Imperatoris copijs, armorum pondus, quod in Galliam euolui potuiſſet, auertebant. Imperabat Suecis Chriſtiana Guſtaui Filia, ſtudijs, bonis artibus, pietati, & Religioni plùs addicta, quàm ferocitati bellorum; ſed pater opulentiſſimę hęreditati inſertum bellum reliquerat, quod Chriſtiana ad arbitrium exuere nequibat, niſi meliori parte hæreditatem fraudare voluiſſet. Nam illi iam Pomerania ceſſerat, & arces, portuſque Michelburgenſis Ducatus, Bremenſisque Archiepiſcopatus, quæ adeptiones ferè integram præbebant maris Baltici poſſeſſionem, & vaſtas Prouincias illius adnectebant Imperio cõmercio diuites, vectigalibus vberes, mitioris Cœli, quàm Suedia, terræ fructibus affatim proueniẽtes, gentibus ſuis acceptiſſimas.

Porrò

Porrò compendioſum erat hoc bellum ſemet-ipſum alens, & Suecis clarum vindicans nomen, triumphos, opulentaque ſpolia; nam paucis ab hinc menſibus vna dumtaxat victoria, qua ad Lipſiam Archiducem Leopoldum exercitu deleto fugauerãt, veſtitum, & ſtipendia vniuerſis copijs ſuppeditauerat; capta enim Lipſienſis Vrbs nundinarum tempore, quo opes propè omnes multarũ Prouinciarum illuc conuectę fuerant, nihil auiditati militum reliquum fecerat; deinde remoto, & Ciuitatis, & exercitus hoſtilis obice Luſatiam, Sileſiam, Morauiam, Bohemiam Prouincias ſtipendiarias fecerunt. In Morauiâ Olmuſo primariâ illius Regni Vrbe potiti, proximam Viennam, & Auſtriam territabant: Hinc in Vngariam, ſi non arma, ſaltem nomen deferentes, mobilem gentem, & diuerſæ inter ſe Religionis, ideò malè cohærentem ſolicitabant, vt ab Imperatore deficeret, & Ragozzium in partes traxerant, nihil pacati Cæſari permittentes.

Cum Suecis, & Gallis cauſam ſuam communem fecerat Haſſiæ Landgrauia ferox mulier innutrita bellorum conſilijs, quam nunquam dimouerunt aduerſa, etiamſi multoties viderit Suecos, & Gallos Germaniâ propè eiectos, nunquam tamen deſpondit animis, conſtans, & incõcuſſa perſeuerauit in partibus, ipſius autẽ cauſa multò durior cęteris erat; cũ Gallos, &

Suecos

Suecos è Germaniâ exactos Regna sua excepissent, & ab illatâ protexissent iniuriâ; at huic Principi semel in Germaniâ Suecorum, & Gallorum opibus accisis, inter hostiles fauces positę, nulla spes euadendi superauisset. Copijs modicis, sed bello induratis modò ad sui defensam, modò vni, modò alij foederatorum iunctis semetipsam, amicosque iuuabat.

Batauorum cum Galliâ foedus cætera superabat antiquitate, arctioribus quoque ex parte Hollandorum deuinctum obligationibus; nam à primis Prouinciarum vnitarum motibus in Hispanos, cum tentarunt iugum excutere, quo tempore Batauorum res domi angustæ, foris nullæ erant, Reges Galliæ hanc nascentem Dominationem, & adhuc in cunis vagientem teneram, indigam opibus lactarunt suis, adultam verò perpetuis beneficijs exornarunt, plusque huic genti, quàm vlli alij contulerunt, eorum cõmercia, & arma proprio milite, & stipendio cientes.

Hoc tempore, quo Galli fractis repagulis, se in Flandriam penetrauerant, & penitùs Annoniam, Brabantiamque exagitabant, Hollandi securiores agebant ex formidantibus formidati Hispanos vndique lacessentes, Flandrię, Brabantiæ, nec non Indijs insultabãt; & multò maiora vincendo consecuti essent, si arma magis solicitasset; sed eos, aut socordia cæperat,

quæ

que fælicitatibus irrepit, aut Galliæ prosperitatibus inuiderãt, aut emolumenta, quæ Indiæ ob secessionem Lusitaniæ ab Hispanis ostentabant, vt sensim ab armis discederent, suadebant. Auraicus tamen Princeps armorum Prefectus, vel ad præstandum officium, vel ad bellicum fastum, vel vt se Gallis studiosum probaret magis, quàm suis, iam tale bellum fastidientibus, singulo vere cum exili fructu copias ex hybernis euocabat in hostilem ditionem, modica tentans Castella, plùs in speciem bellandi, quàm vt compositò bellaretur.

Victorius Amedeus Sabaudiæ Dux Ludouicum XIII. graui implicitum bello, non dumtaxat Copijs, sed manu, opibusque prosecutus erat. Quo defuncto Christiana Vxor, ne minùs officiosa videretur in fratrem, quàm maritus, perdurauit in foedere, quod illam non leuiter exussit; nam eucstigiò ab Hispanis Vercellarum Ciuitate mutilata fuit, sequenti anno bello ciuili oppressa, relicto Pedemonte, cum Carolo Emanuele II. pupillo ad Sabaudię Asylum confugit, Populis, & non modicâ nobilitatis parte in Principes Mauritium, & Thomam consentientibus.

Duciſſæ partes intrepidè sustinuerunt duo Viri armis præpositi, Marchiones nempè Villa & Planetia, quorum primus Æquitatui, alter Peditatui moderabatur operam suam impigrè

nauan-

nauantes ad receptionem animum, quæ defecerant, potissimùm Taurinensis Ciuitatis, quæ multo auro gallico, & sanguine stetit. Consummato ciuili bello, Villa cum suo equitatu veterano Regis Exercitum in Italiam confluctem singulis annis muniebat: Vir interritus, rerum militarium peritiâ nemini suorum temporum Duci posthabendus, cui tàm exacta erat locorum cognitio, adituſque omnes, & recessus adeò affabrè callebat, vt, vel cum paucis copijs infensissima hosti, tutissima sibi Castra metaretur.

Planetiam validitas consilij ab vsu armorum detraxit; nam licet Ducissa in multis militaribus expeditionibus cordatum virum, bellique scientem experta esset, & nouissimè receptio Oppidi Verrucæ diuturnâ aliàs obsidione nobilitatæ, nunc septem sub ipsius auspicijs expugnatæ diebus, fortem, industrium, strenuumque vulgauisset: attamen tot calamitates perpessa, ne in easdem relaberetur, non permittebat tàm fidum, probatumque Ministrum à latere discedere, cui Arces, Militiam, Politiamque commendauerat, in quo vno ob præstantiam ingenij, animique fortitudinem, & integritatem, Status tranquillitatem, Filij Ducis presidium, sui incolumitatẽ sita esse iudicabat.

Portugallia, & Catalonia vastum Hispaniarum corpus suâ secessione amputauerant; Hęc ad-

aduersùs prementes Hiſpanos, effugium ad Gallos habuit; illa proprio Regi ſibi dicto parebat. Galli numeroſis exercitibus in Cataloniam irruentes Hiſpanum ſolicitabant, vnoque opere duas captabant vtilitates, Cataloniam illorum fidei à Populis creditam tutabantur, & periculum, metumque à Portugalliâ ſubmouebant; Hiſpanorum enim opes in Cataloniam deuolutę intactam relinquebant Luſitaniam, ac ſi nullum ſibi negotium cum illâ eſſet.

Rex Portugalliæ ſocijs ſuis laborantibus tranquilliſſimam pacem agebat, nihil penſi habens ſociorum, vel felicitates, vel aerumnas: & profectò Rex ille, qui (vt ita loquar) verſabatur in maiori crimine, minores pœnas luebat. Dum aliorum opes emungebātur bello, ipſe à nullo vexatus diuitias pacatè congregabat, bellique apparatus in compendium vertebat. Verùm Galli vnâ exceptâ alienatione, quæ Hiſpanorum vires infirmabat, ex hoc Rege nec minimum trahebant emolumentum, cum ipſe è contra quietem ſuam illis deberet. Potuiſſet tamen hic Rex foedus, & amicitiam, quam cum Gallis cõtraxerat, eximiùs iuuare, vel terrâ, vel mari hoſtem impenſiùs vrgendo.

Vaimarrenſibus, etiamſi gallico auro ſtipendia facerent, & Mareſcallo Gubriano parerent foederatorum nomen magis placebat, vel quia compendioſius, vel excellentius, non adeò exactam

actam obedientiam repoſcens. Iſti Vberlingâ aſſultu ſuperatâ contra Bauaros frequentia prælia conſerebant, Alſatiam ab hoſtilibus excurſionibus protegentes.

Hiſpani varijs cõcuſſi fluctibus cœperant ad id tẽporis animũ ex infortunijs reſilire; multa enim acciderãt, quæ ſpẽ cõualeſcentiæ ſpondebant; mors nimirùm Cardinalis Richelij, cuius conſilium Hiſpanienſi Monarchiæ offecerat: Vnde ex iſtius Miniſtri iacturâ credibile erat aliam faciem Galliarum res induturas eſſe; ſed multò magis erexerat illorum animos Regis interitus, qui XIIII. Maij acciderat. Si Rex viuens à ſeditionibus prohibere Principes, & Populos vix poterat, quantò maiores ipſo extincto concitarentur tumultus? Forſan' Rex quinquennis, & foeminilis dextra gubernantis frenabunt Gentem Religione diuerſam, exaſperatam tributis, malè animatam in Miniſtros, à quibus opes ſuas obliguriri deprædicabat; aut poterunt ad officium adigere Principes ſuſpirãtes Imperium, & diuitias ſine metâ profundentes, quorum vniuſcuiuſque ſumptibus vix integræ Prouinciæ vectigalia ſuppeterent.

Non dubia videbatur Hiſpanis (antequã Rex adultus Imperij habenas retraheret) Galliarum conuulſio; his accedebat, quod ex mutatione Comitis Ducis Oliuarij Primi Hiſpaniarum Miniſtri ſibi videbantur reſumpſiſſe ſpiritus pri-

priſtinum florem Monarchiæ reſtituendi: Cum frequenter obambularet Hiſpaniarum Regis mentem phalanx infortuniorum, quæ ſibi in dies accidebant: rebelliones nimirùm tot Regnorum: præcipuarum deperditio arcium tùm Hiſpaniæ, tùm Flandriæ: Prouinciæ manu militari conſumptæ, & quas bellum non exhauſerat, tributa delimauerant: tot exercitus fuſi: claſſes corruptę: exclamationes populorum: procerum dolor, vel diuturno ſilentio, vel longâ abſentiâ ſe prodens: ſcripta in Aulicorum vultibus moeſtitia: Reginæ ſuſpiria: adoleſcentis Filij gemitus: omnium lacrymę. Rex tandem recollegit ſpiritus iamdudum diſſipatos: conſuluitque ſemetipſum. Num ne, cum Oliuarius omnia vel ſe inſcio adminiſtraret, æquum eſſet credere, aut ipſius incuriâ, aut ſocordiâ, ſiue contemptu rerum, vel malitiâ, vel denique malo fortunæ genio calamitates exoriri? Decreuit itaque hunc proſcribere Miniſtrum, vt infortunia cum ſuo Duce exularent. Quos fortuna malè ſecundat, etiamſi ſine ipſorum crimine ſuccedant aduerſa, à gubernaculo remouendi ſunt, quia cēſent mortales non parum tribuendum eſſe bonæ, vel malę fortunæ operantis.

Mutauerat in iſtius Miniſtri depreſſione faciem Hiſpania: decreta promulgata: exules reducti: noui aſſignati Prouincijs Moderatores

res: Exercitibus Duces: conscriptus miles: congregata pecunia exhibebat spem deiectas res pristinum integraturas esse vigorem. Casus etiam militaris felix obuenerat, ideò portento assignatus, quia infrequens: recuperatio nimirum Dertonæ post longam obsidionem.

Dux quoque Picolomineus visus est cadentes Imperatoris res instaurare in defensione Freibergæ, à cuius obsidione Suecos depulerat. Ioannes Vertus Prętor Ducis Bauarię adeò diligenter obseruabat Gubrianum Marescalcum, & Vaimarrenses, vt nihil integrum illis permitteret.

Cap. III.

Pugna Rocroiana. Expugnatio Theonisuillæ, Astæ, Villanouæ, & Tridini per Gallos. Monsonij recuperatio ab Hispanis. Sueci Olmitzio subueniunt: Brinam obsident.

1643.

HÆC Erat bellorum series: hic Status Principum, populorumque sub Martis iugo gementium; cum Ludouicus XIII. Francorum Rex in vitę, mortisque versaretur confinio. Franciscus de Melo Hispani Regis in Belgio Legatus compendium ex hac imminenti morte facturus, adunat Exercitum multitudine

conſpicuum ſupra viginti hominum millia, ſed multò magis virtute, & peritiâ militum in primis Peditatus, qui longâ aſſuetudine belli incommoda, & pericula ſibi familiaria fecerat; deinde Rocroiam modico curatam præſidio, eximium Picardiæ munimentum circumuenit. Anguinius Princeps, qui ex Regis mandato Copijs Gallicis præerat, adoleſcens impauidus decreuit fortiſſimę Arcis iacturam non tolerare. Luſtrato Exercitu, numero, & virtute hoſtili non inferiore. Inibi enim flos militiæ Gallicę ſpectabatur, ex quibus Anguinius ſolidos Martis fructus ſperans decerpere, rectà in hoſtem pergit.

Melus maxima cum alacritate ad pugnam ſe comparat, fidens opibus ſuis, & illectus victoriâ, quam anno ſuperiore ad Hunnecurtium ex Guiſcio reportauerat: nec non pro certo ducens ex Regis morte refriguiſſe Gallorum animos, ad non dubium triumphum in agonem deſcendit, ex qua victoria Hiſpanorum detrimenta ex integro inſtauraturum eſſe non fallaci iudicio præſumebat. At euentus ſperata fefellit; nam conſerta manu, licet dextrum Gallorum cornu ab Hiſpanis ualidè impetitum, Mareſcallo Aulerio moderatore grauiter ſaucio, non leuiter vexatum ſit; tanta tamen impreſſione læuum cornu, Gaſſionio Duce, in Hiſpanos ingruit, vt aperta Acie horrendâ reſiſtentium

tium cęde vniuersum Equitatum in fugam egerit. Peditatus Equitatu nudatus, aperto in Cāpo cum hoste deditionem pactus est. Viris strenuis ad redimendas ex pacto ab hoste iniurias fortitudo animi pro muro fuit. Ad sex millia Hispanorum cæsa, totidem capta, duo millia Gallorum desiderata sunt.

Anguinius, ne tam præclara victoria sine fructus prouentu inter celebrantium ora demum fatisceret, omnibus diligenter exploratis munimentis, in Galliæ limine sitis, ad quorum expugnationem commodè se accingeret, cum toto Exercitu circumstetit Theonisuillam Arcē propè inexpugnabilem Mossellę imminentem, quæ aditum ad Germanos, & Lucemburgicos aperit, protexissetque Lotharingiam, & Campaniam, si Regis arma in eam feliciter penetrassent, haud paruam molestiam his adimens Prouincijs, hostilibus magnum inferens detrimentum. Tenuit obsidio vltra duos menses: subfossa, & euersa propugnacula, mors etiam Gubernatoris suaserunt propugnatoribus deditionem, quam breui expugnatio Sirici secuta est.

Interea Princeps Thomas Præfectus Gallici Exercitus in Italiâ, Plesis Pralinus, & Turena Legati, Villa Generalis Equitatus Ducis Sabaudię ferias non agebant; nam, cum ad Dertonam penetrassent, in bique, omnibus ritè pensitatis, constituissent validas Hispanorum munitiones

ſuperari non poſſe, ad Aſtam ſe conuertunt, è qua Hiſpanos exigunt: dein Villamnouam cingunt, cuius expugnationem Villa ſolus consũmauit: mox poſt varias excurſiones in limitibus Mediolanenſis Ducatus totus iterum collectus Exercitus circumſidet Tridinum. Præclari obſidio munimenti quinquaginta dierum operam dedit oppugnantibus non exiguam; demum, vi cuniculi aperto propugnaculo, ſe tradidit, cuius iacturâ Hiſpani (vna exceptâ S. Agatâ non magni momenti Oppido) omnibus exciderunt acquiſitionibus, quas bellum Ciuile Pedemontium illis contulerat.

Hiſpanorũ Rex hoc anno Madrito profectus Saragoſam, petierat Aragoniæ caput, in quo Regno Galli Monzoni Vrbem occupauerant, & valido impoſito præſidio, quoque munitionibus auxerant, durum Aragonenſibus iugum. Ideò Rex, vt querelas Aragonenſium ſupprimeret, iſtius iuſſit recuperationem Arcis, quod egregiè à Marchione Mortarę patratũ eſt. Exigua victoria in omen maiorum accipiebatur. Nam nunquã vincentes aliquando viciſſe indicium eſt ſe conuertentis fortunę.

Torſtenſonius relictâ Fribergiæ obſidione nouis ferruminatus Copijs Pragam verſùs dirigit iter, hanc ampliſſimam Ciuitatem tentaturus: contra quam nihil proficiens in Moraniam ſe dimiſit ad diſſoluendam obſidionem, qua

Im-

Imperiales Olmizium premebant. Imperiales, aduentu Suecorum percepto, se in Arces recipiunt, ne numero impares pugnæ aleam experiri cogerentur. Torstensonius prospero rerum euentu inflatus, omnes explorauit vias ad trãsmittendum Danubium, sperans illam Austriæ partem ad eam diem bello intactam opulentas prædas sibi collaturam esse.

Imperatorem Viennæ periculum vehementer mouit ad euocandos Exercitus, nobilitatem, & magnam subitariorum militum manum compellendam: quibus subsidijs obuiàm iuit attentatis Suecorum, qui à transitu Danubij prohibiti Brinam Morauiæ Ciuitatem inuadunt, à qua nequicquam multis mensibus oppugnata: mox Galatij opè recenti confirmata præsidio, re infectâ, magno Peditatus intertrimento recesserunt; quorum Dux Chonixmarchius insidiosè potitur Albestadio, & maiora meditantem pedem in Pomeraniam reducere coegerunt Imperiales, qui in illam Prouinciam inopinatò irrumpentes, Stugardam, Stolpiamque receperãt,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cap. IIII.

Clades Dutlingica. Illatum à Suecis contra Danum bellum. Cauſæ, operationes Bauarorum poſt victoriam. Detentio Ducis Boſortij.

1643.

MVLTO ſolemniores fuerunt cladēs, quæ inter Rhenum, Danubiumque, exeunte Autumno, cōtigerunt. Ea Æſtate nihil egerant Vaimarrenſes, quia Ioannes Vertus potentior limites illis præſcripſerat, quos ſuæ conſcij debilitatis tranſgredi non audebant: quare Galliarum Regina numeroſas, & veteranas illis deſtinauit Copias, vt hyemales ſtationes in hoſtico facerent, ſuoſque ſubditos leuantes, inimicos prægrauarent. Dux Anguinius iuſſus partem illius Exercitus, qui Theoniſuillam expugnauerat, in Germaniam ad Gubrianum adducere, exequitur mandata.

Tantâ fretus acceſſione virium Ciuitatem Rotuillæ aggreditur, & capit Gubrianus, cuius oppugnationem ſuâ morte funeſtauit, præſagio Exercitui infauſto, qui, dū Dutlingi incautè, & ſine excubijs moratur, à Mercio, & Verto Bauarię Generalibus inopinatâ inuaſione funditur, & intra Ciuitatis mœnia quaſi vinculis irretitus capitur; excepto Equitatu Roſæ, qui ſe Rotuillam

Iam recepit. Vniuersæ Copię cũ suis Legatis ad vnum, vel cæduntur, vel vinculis obligantur. Hæc clades Parisios delata summoperè exagitauit administrantium animos. Mareſcalco Turenę difficilioribus casibus ob egregiã virtutem reseruato ardua demandatur Prouincia; & Plesius Bezansonius per dispositos equos confestim mittitur ad illuc impellendas omnes Copias, quæ in Lotaringia, Burgundiaq; hyemabãt.

Dutlingica pernicies eò acriùs exercuit Gallos, quò importuniori tempore succesſerat; nàm paulò antè propè omnes Suecorum Copiæ, relictâ Germaniâ, clàm Daniæ Prouincias hostiliter inuolauerant, Holsatiam, Ditmarsiam, Iutiam diripientes. Danica gens imparata bello, & longo ocio, socordiâque marceſcens nusquam obsistebat veterano militi ex Germaniâ accito, qui tyrocinium inter cędes, sanguinemque deposuerat. Daniæ Rex inopinato, & repentino bello excitus in penuriâ militum delectum euocatorum habuit, & hosti oppoſuit, qui uix aspectum, nedùm Suecorum arma sustinebant: cęsi, fugatique suadebant Populis, vt promptâ deditione victoris iram, ferociamque lenirent.

Prętergquam quod Dania attingit Suediam, & inter finitimos bellorum cauſę deeſſe non possunt, Sueci varias, & propiores prætexebant. Danos videlicet in se occultè conspiraſſe, & iam

cõueniſſe cũ Imperatore de mouẽdo bello: coegiſſe Sueticas Naues immunes, & nequaquã obligatas ad pendendum Danici freti portorium enormiter auctũ ſimulãtes onerarias Batauorũ eſſe: Duces Nauium ad Aulam Regis Daniæ de iniurijs queſtum euntes malè habitos diſceſſiſſe, additis inſuper minis aliquando Danos in Sueticos arma diſtricturos eſſe. Quibus iniurijs, & ſuſpicionibus permoti Sueci deliberauerunt inimicum Regem nouandi auidum, antequam vires aſſumeret, occupare.

Hoc bellum, etiamſi partem Copiarum Imperatoris ad ſe traheret, vt Dano adminicularentur, Gallos tamen angebat, conſpicientes Germaniam amicorum armis vacuam, & verentes, ne Sueci, libidine perciti Danicas Regiones ſuo iungendi Imperio, negligerent Germaniam, vt Daniam lucrifacerent. Florentes quoque, & imbelles Daniæ Prouinciæ minùs difficile, & compendioſius alebant bellum, quod auidis militibus magis arridebat, quàm illud exeſæ Germaniæ plus vulnerũ, quàm auri pollicẽtis. Vnde copia fieret Imperatori expũgẽdi ærumnas, & Germaniã exoticis armis liberandi.

Bauaris poſt Gallorum Exercitum ad internecionem deletum victoria plenè non ſatisfecerat; eam enim omnibus viribus, & aſſiduis incrementis proſequebantur: Rotuillam receperant

perãt: Vberlingam clauserãt: nec hyemis rigor ab oppugnatione munitissimæ Vrbis eos deterrebat.

Licet hæc armorum fulmina extra Galliam detonarent; non tamen Parisiensis Aula omninò tranquillè agebat; nàm post electionem Cardinalis Mazarini, cui vniuersa grauiorum negotiorum moles iussu Reginæ demandabatur, Dux Bofortius, qui multa ex Reginæ beneuolentia sibi promiserat, & plura suâ mente conceperat, quàm Reginæ prudentia permittere illi posset, in Cardinalem incaluit, occultè preparans arma ad patrandum aliquod graue facinus. Conspiratione Reginæ, & Principibus delatâ, extemplò carcer illi decernitur, & ad Vicennas captiuus ducitur, multique alij illis insidijs permixti in exilium acti sunt. Non potest sine rigore clementia diù stabilem exercecere dominationem. Hæc deliberatio ad multũ temporis confirmauit vacillantem tranquillitatem.

Cap. V.

Apparatus militares Galliæ. Transiluanus in Vngariam mouet. Sueci Danum premunt. Vberlinga cadit. Mota ab Hispanis funditur. Lerida capitur.

1644.

EXIERAT Annus 1643., & licet rigor hyemis anni subsequentis iuberet armis temperari, attamen nullibi quies. Principum, & Ministrantium animi in varia distrahebantur, videlicet, vt secunda promouerent, & sarcirent aduersa. Quoad Galliam attinet non paruæ curæ regimen stimulabant, vt supplementis integrarentur veteres, & nouæ conscriberẽtur Copiæ ad implendas iacturas, & retinendas victorias.

Expeditiones anni præteriti videbantur adhuc à defuncto Rege profectæ, qui tunc perierat, cum omnia ad belli administrationem iàm erant comparata: nunc intendi animos, vt obseruarent quid, vel magni, vel humilis hoc anno ex nouo Galliarum erumperet ministerio: hinc stimulante necessitate, & gloriâ, tota hyems bellicis strepebat apparatibus.

Inte-

Interea Transiluanus, vt liberaret fidem, quam Suecis oppignorauerat Februarij mense Cassouiam occupat, & alia Vngariæ Castella, Regionemque expilat. Qui noui motus trahentes è Germaniâ Imperialium manum ad Vngariam tuendam, Cęsaris extenuabant Exercitum: exonerabantque Suecos, vt magis expediti in Danum incumberent, cuius Regiones penitùs intrauerant, & hyemalia fixerant. Marescalcus quoque Ornus ex Suediâ Scaniam inuehens, ferè totam Regionem hostiliter erat emensus. Daniæ tamen Rex ad hanc diem naualibus opibus potior, Suecos ab Insulis arcebat, & præstantiorē sui Regni portionem illibatam tuebatur.

Cecidit Vberlinga sexto obsidionis mēse, magis fame, quàm armis edomita, quo temporis cursu omnia Bauarorum attentata euanida fecerat.

Primum, & egregium istius anni facinus ab Hispanis prodiuit. Rex Saragosam appulerat, iniunxeratque Filippo de Silua Exercitus Prætori expugnationem Leridæ. Silua Exercitum Vrbi circumfundens fossâ, atque aggere cingit. Mota Generalis Gallicus in Vrbis subsidium cum inferiori Exercitu festinans, magis ad preteritas victorias, quàm ad presentes vires respiciens pugnæ copiam facit: fusus, fugatusque in interiorem Cataloniam se recipit.

Aliqua

Aliqua Gallici Peditatus portio in ardore pugnę obsessam Vrbem ingreditur, quę intra duos menses plùs fame consumpta, quàm tormentis disturbata, deditione Hispanorum victoriam insigniuit. Pendente obsidione Mota terrâ, marique Terraconam pressit felici auspicio, & pernicioso exitu: parte enim Exercitus obsidionis incommodis obrutâ, & ab aggressionibus cum strage propulsatâ ab incepto destitit; tum Hispani Bellaguerium cum alijs Castellis recipiunt: & Mota Reginæ iussu à Prouincia discedit.

Cap. VI.

Duæ Gallicæ Expeditiones, altera Ducis Aurelianensis, qui Grauelingam expugnat, altera Condæi, qui Filippiburgum capit.

1644.

NObilissimas hoc Anno expeditiones exeruit Gallia, opibus, politice, & prudentiâ instructas. Inter cæteros binos cõstauit Exercitus, quorum imperium binis Principibus assignauit, cùm vt virtute, & auctoritate animarent victorias, tùm vt gloria militari inflati cuocarentur à turbis, & Regis causam suæ quod-

quodammodo permixtam ardentiùs fouerent. Dux Aurelianensis tripartitò in Flandriam duxit, vt hostem de omnibus mun imentis anxium haberet, coactusque copias diuidere, ipsius destinata interuertere nequiret. Mox præter hostium expectationem terrestres Grauelingæ aditus intercludit dùm Trompius Classis Hollandorum Prefectus maritimos accessus custo diebat, ne hinc Hispani Vrbi subuenirent: nam, hoc anno precibus, & promissis Gallorum onerati Batani communem causam strenuè iuuarunt. Castrum Philippi prope mare locatum ab Hispano deseritur, reductâ in Vrbem manu, quæ illic excubabat metu, ne ab hoste excluderetur; cuius accessio, licet parua in penuria militum, & pro temporis ratione pluris ducebatur, quàm ipsius Castri ad paucos dies conseruatio.

Arx hostiles impetus diù sustinuit; nam præter fortissima propugnacula, fossa aquarum mole demergitur. Attamen virtute, pertinaciâ, industriâ, & sanguine Gallorum duo concrepuerunt furni, vnus, qua parte curabat Gassonius modicâ labe, alter, vbi operam faciebat Meileræus, patentius ostium aggredientibus aperiens. Quadraginta milites inter illas ruinas sedem sibi stabiliuerunt, & Vrbem adegerunt in pacta.

Picolomineus Dux Armorum Moderator in obsidionis feruore obsidentium aggeribus cum

Hispano

Hiſpano Exercitu appropinquauerat; ſed contentus hoſtium munitiones oculis luſtrauiſſe, ab impreſſione abſtinuit.

Princeps Orangius cum agmine Batauorum Saxum Gandauenſe in ea parte ſitum, quà Flandria Batauiam tangit, oppugnandum ſuſceperat. Gallicus Exercitus expeditus à Grauelinga, huius Principis incepto omni opitulabatur conatu, infeſtans Hiſpanos, ne hinc ſuppetias aduersùs Batauos mitterent: quare ſubſidio deſtitutum Saxum illud, quod reputabatur inacceſſibile, cecidit. Hac æſtate binas Flandriæ claues Hiſpani amiſerant, Grauelingam nimirùm, & Gandauu Saxum, quæ ad ſuos hoſtes peruenerant mox in penetralia Flandriæ erupturos.

Alterius Exercitus curatio Anguinio Duci demandata fuerat, qui ſuorum geſtorum famam vel in flore adoleſcentiæ ad remotiſſimas gentes tranſmiſerat. Hic in Germaniam iter dirigit, aggreſſurus Bauarorum munitiones ad Friburgum, quò peruenit, Vrbe iam deditâ. Serum ſubſidium occiùs inuitauit Ducem ad pugnandum; nullâ enim datâ morâ, hoſtem fortiſſimũ in ſuis munitionibus inceſſit, in cuius conflictu etiamſi præter vulnera hinc inde illata nullũ maius retulerit emolumentũ; attamen tantâ alacritate, & obſtinatione prœliatũ eſt, vt hoſtes, cũ munitiones tueri vix potuiſſent, exterriti deinde non auſi ſint aperto campo ſe cõmittere, &

Ducis

Ducis facinoribus obuiàm ire; qui iuxta Rheni ripam descendens Filippiburgo Exercitum applicat, & intra paucos dies capit præclarissimum munimentum; quod totius Germaniæ insuperabilis murus deprædicabatur; deinde veluti aggere facto quodam victoriarum torrente Spiram, Vormatiam, Magonciam, Landauiâ, pleraſque Vrbes, & Castella rapit, & famam alterius Regis Suediæ in illâ Septentrionali Plaga renouat.

Cap. VII.

Arona, & Finalis infeliciter tentata. Sancta Agata, & Citadella Astensis à Gallis recepta. Classis Daniça à Suecis corrupta.

1644.

IN Italiâ otium præliantibus non irrepserat, licet minori strepitu arma tractarentur. Princeps Thomas Parisijs in Pedemontem redierat, absolutamque bellorum administrationem vnus à Regina reportauerat; quare accersito ex hybernis milite, & expugnato Ponzoni Castello, in Mediolanensem Ducatum irruptionem facit. Hunc Ducatum non ampliùs tegebant Pedemontis Arces, quibus iam captis, nudati limites erant. Ideò, circa Bremam

Bremam Oppidum olim à Gallis munitionibus instructum, Castra ponit; ità tamen, vt vel obsidere, vel deserere illud sine notâ posset. Aliquot diebus in varijs Pagis Bremam coronantibus moratus, ex improuiso digreditur, diuisoque in tria agmina Exercitu, quæ post varios gyros in vnum conueniunt, Aronam Oppidum magis situ, quàm arte munitum impetit. Iacet Arona ad amplissimum Lacum Verbanum. Secum Galli aduexerant lembos, quos in Lacũ ad intercipienda subsidia dimiserãt, qui, si speratum perfecissent opus, actum erat de Aronâ; sed expeditionem, quę à terrâ ad votum processerat, incustoditus Lacus fefellit: Comes enim Riueriæ Legatus Marchionis Velladæ Mediolani Gubernatoris Lacus beneficio varias militum cohortes in Aronam induxit, Gallicis lembis nequicquam proficientibus. Galli post multa vulnera, & cædes obsidionem deſtituunt. Hoc Aronæ Oppidum in Mediolani Status meditulio situm est.

Licet sibi videantur Exercituum Ductores Prouinciarum expugnationes maturare, si prætermissis munitioribus Arcibus, quæ in limitibus Regionum sunt, interna Oppida magis obnoxia expugnationi (quia præsidio, & munitionib⁹ imparata) inuadãtur: quibus deinde captis, Prouincia tota diripitur, & tandẽ etiã munimẽta perfectiora, aut fame, aut ferro totâ deuas-

tatâ

tatâ Prouinciâ succumbunt; tamen hęc ad votum non succedunt, nisi numerosissimus impetat Exercitus, aut hostis nullas in aperto Copias habeat, quæ in Ciuitatem obsessam induci possint; nam si modicus sit assiliens Exercitus, cuius itinera, & motus ab hostili Exercitu obseruentur, aut destinatum Oppidum, antequã cingatur, munietur, aut res frumentaria, & militares intercipientur apparatus, quorum defectus intentum opus frustrabit: vel si tandem Oppidum in meditulio situm expugnabitur, hyemis spatio, leuiori momento, quàm captum fuit, recipietur; ita ut similis expeditio sit semper aggredienti onerosa. Sic Vigeuanus, & Dertona non est retenta, nec Arona capta. Saltem ex vna parte Arx limitanea expugnanda est, antequam ad penetralia ducas.

Princeps Thomas ab Arona regrediens ingruit Oppidum S. Agatæ prope Vercellas situm postremum ex ijs, quæ bellum ciuile Pedemontanum Hispanorum dominio vindicauerat; cętera enim, quæ eadem tempestas inuoluerat, recepta iam erant. Hispani, vt Principem hinc educant, Alexandriâ digressi duabus horis ante diluculum in Astensem Citadellam euadunt, interfecto Gubernatore, & præsidiarijs militibus captis. In hoc aduerso ictu, & declinando, & retundendo Principis virtus, ac ingenium emicuit. Pro certo ducebatur, aut Astę

casum tolerandum esse, aut obsidionem S. Agatę soluendam. Attamen Principis diligentia par omnibus fuit discriminibus, obsidionem vehementiùs premens, & Ciuitatem eximens periculo. Cum parte Copiarum Astam properans Vrbem ingressus, Præsidium aduersùs Citadellę insultus adeò muniuit, vt non veritus sit S. Agatam repetere ad obsidionem solicitandam. Præsidiarij S. Agatę in vltimas angustias coniecti septimâ Septembris deditionẽ faciunt. Qua Vrbe receptâ, ad aliam liberandam eueſtigio Princeps cum vniuerso Exercitu festinans, Citadellam adeò constanter aggreditur, vt omnes pręsidiarios vinculis obligauerit.

In exitu anni celebris expeditio excogitata erat fortitudinẽ, & ingenium redolens. Finalẽ occupare decreuerant Galli, Classis naualis tribus hominum millibus instructæ Moderatore Fronsaco, & Principe Thomâ per Pedemontem terrestres Copias ducente. Ex hac parte diligenter patrata res, exitum nacta non est, quia Classis non adfuit in tempore. Sic de manibus Gallorum euasit Finalis Castrum malè ad omnia tunc munitum.

Suecos inter, & Danos ter in mari prælia-tum est. Bis Rex Danus Præfectum suæ Classis egit, & victoriam obtinuit. Tertiò Danica Classis sine Regis præsentiâ, videlicet sine animâ expirauit; omnes enim Naues vel corruptæ, vel

vel captæ sunt. Batavi detrectatas Dano suppetias Suecis attribuunt, malè in Danum animati propter nouum Vectigal mercibus per Danicũ fretum transeuntibus constitutum. Cæterùm impetrata Portorij castigatione, nullo modò in Succorum partibus erant; nam, si cecidisset Danus, à Suecis freto potitis ægriùs impositionis remissionem exorassent. Faciliùs enim excutitur onus impositum à minùs potenti, quàm à potentiori.

Cap. VIII.

Causæ, & Series bellorum inter Vrbanum VIII. Pontificem Maximum, & Odoardum Farnesium Parmæ Ducem vsque ad pacem.

1644.

IC Annus simultates inter quatuor Italiæ Principes, Venetos nimirum, Magnum Hetruriæ, Mutinę, & Parmæ Duces ortas aduersùs Barberinos, aut Vrbanum VIII. Pontificem Maximum consumpsit. Sed quia ignoratis dissidij primordijs, narratio finis tenebras potiùs, quàm lucem, vel cognitionẽ rerũ mẽtibus offunderet; ideò locus admonet, vt ad principia dissensionũ retrogrediamur.

Odoardus Farneſius Dux Parmenſis non ſoluebat vſuras ijs debitas, qui pecuniam Monti Farneſio Romæ erecto crediderant. Creditores ad Pontificem confugiunt: iuſtitiam implorant. Pontifex Caſtri Ducatum Monti, & Creditoribus addictum decreuit ad ſupremam Principis manum reducendum. Dux, Pontificis edicto percepto, Caſtri Ciuitatem munit, quam intendebat aduersùs Pontificis Decreta, & Creditorum iura armis tueri. Aſtruebat Pontifex hoc motu in ſe ipſum ſupremum Dominum geminari iniurias: quare militem cogit: Caſtrum inuadit, capitque; vnde altercationes, & ſimultates: ſcriptis etiam inter ſe cauillantes.

Dux cauſam inſoluti debiti in Barberinos reijciebat, qui extractionē annonæ ſeueriſſimo edicto prohibuerant; dum interea vrgerent Miniſtros ſuos, vt vſuras penderent: qui cum vi Edicti non poſſent fructus è Solo Caſtrenſis Ducatus perceptos aliunde conuehere, & ex eorum venditione pecuniam cogere, impotentes ad diſſoluendum debitum erant. Ad hæc Barberini reſpondebant, edictum commune, & ad publicum commodum ſancitum non poſſe ad priuatam iniuriam referri: ità tuliſſe conditionem temporum, vt talia promulgarentur edicta: grauiter peccaſſe Ducis Miniſtros, qui pecuniam ex redditibus Caſtri extractam, fraudatis

tis Creditoribus aliò auertiſſent..

Inter hæc vtræque partes militem conducunt. Omnes penè Europę Principes officiosè Pontificem adiuerunt, deprecantes bellum, quod Italiam à tot annis quieſcentem turbatum ibat. Maior tamen ſpes hoc naſcens bellum ſuffocandi habebatur in officijs Galliarum Regis, à cuius placitis videbatur depẽdere Parmenſis Dux: & Vrbanus VIII. Pontifex Maximus Pontificatus ſui decurſu cum nullo alio Principe magis, quàm cum Rege Gallię congruerat; nam tulerat ſors, vt Vrbanus VIII. Optimus alioquin Pontifex multos Principes, potiſſimùm Italiæ, auerſos potiùs, quàm deuotos, ac beneuolos contraxerit. Omnibus compertum erat, hanc mediationem eſſe admodum vlceroſam, cum pro Pontifice ſuprema auctoritas in Caſtri munitione à Duce violata, & non ſoluta debita apertiſſimè militarent, quibus non niſi apertæ ſatisfactiones debebantur. Cauſæ Ducis Parmenſis ſuę etiam rationes ſuffragabantur; ſed in primis Dux quancunque ſubire aleam potiùs expetebat, quàm poſſeſſione ſuorum Statuum ſpoliari. Itaque, dum vnus reſtitutionem, alius retentionem pertinaciter inculcabat, nullus relinquebatur reconciliationi locus.

Rex Galliæ verebatur, ne, ſi Ducẽ Parmenſẽ preſſiſſet, iſte Hiſpanos ſibi propitiaret, qui, etſi vtrique parti parùm beneuoli, implacabili

tamen flagrantes odio in Barberinos, amicitiam Ducis Pontificiæ præposuissent. E contra Pontificis maiestatem multum eleuare videbatur ille, qui Status Castrensis restitutionis mẽtionem iniecisset. Negotium adeò salebrosum Rex mandauit prudentię Domini de Lionâ, sperans ipsum dexteritate suâ, & consuetâ operandi lenitate asperitates vtriusque partis castigaturum esse. Liona voluntatem sui Regis partibus aperit, proposuitque medias quasdam Pacis conditiones, quę videbantur non libare Pontificis auctoritatem, sed partium durities emolliri nequiuit, quare cum res in bellum vergeret

Parmensis Dux, quia iam Ducis Mutinæ, Magni Ducis Hetruriæ, & Venetorũ arma exorauerat, audaci, sed cordatâ deliberatione Bononiensem agrum, vbi præcipuæ Pontificis Copiæ morabantur, cum tribus equitum millibus inuadit, peruaditque: cuius expeditionis fama tantum terroris in animos populorum inuexit, vt Imola, Fauentia, Cæsena, Forumliuij portas illi reserauerint, & victui opportuna concesserint. Dux benè multam Romaniolæ partem emensus in Hetruriam diuertit, liberaliter à Magno Duce exceptus.

Barberini hac improuisa Ducis aggressione perculsi, præcipuè cum Romę trepidaretur, vbi populus mutationum cupidus longas eorũ-

dem

dem imperantium dominationes stomachatur, conueniunt. Dominum de Liona, hortanturque, vt Duci exponat nonnullas pacis conditiones, à quibus videbatur Dux non dissentire, potissimùm cum Castri depositū complecterentur. Liona per dispositos equos obuiàm Duci profectus, eum Castilione deprehendit; quod Oppidum est illius partis Hetruriæ, quæ pertinet ad Pontificem: iam enim ab Hetruriâ magni Ducis excesserat, & se in Pontificis Dominium rursus insinuauerat.

Liona conditionem Duci desideratam proponit: & interea ipsum monet, ne ab hostilitatè desistat: addens esse terrorem potentissimum arbitrū pacis festinandæ. Quapropter Dux sequēti die Plebē, quæ à Castilione duodecī millia passuum distat, & hinc Aquapendentem proficiscitur: & Liona Viterbum petit ad illuc conueniendum Cardinalem Spadam Plenipotentiarium, vt pacis articuli cohærerent. Sed iam Pontificis Exercitus in eas partes dimanauerat: terror minuebatur: etiam tractationes refrigescebant. Idcirco euanuit occasio pacis sanciendæ. Dux Parmam repetijt, dum Pontificis Copiæ in dies glisscerent.

Infallibili spe lactabantur Barberini, Italiæ Principes Pontificis Iurisdictionem impugnaturos non esse, nec exuturos obedientiam per tot sęcula Ecclesiæ præstitam. Hæc coniectura

eorum animos adeò præoccupauerat, vt (etiamsi cernerent arma expediri) vel rumores vanos esse, vel ad terrorem comparari, vel aliò referri certò ducerent. Nam, si tantam belli molem in se ruentẽ præuidissent, eam forsitan, vt vt potuissent, declinassent, maximè eo tempore, quo iã Vrbani ætas vergebat instante morte, ne alterius Dominatus pręstolarentur iudiciũ sæpè antecedentis facta siniſtrè interpretantis.

Italię Principes iam à multis annis graues recensebant offensas, vt ipsi arbitrabantur, à Barberinis sibi illatas; multis etiam necessitudinibus Parmensi Duci iungebantur, & ante omnia abhorrebant a fama, quæ per Italiam ferebatur, Barberinos, solutis Creditoribus, velle Castrensem Ducatum sibi vindicare; licet deinde liquerit Barberinorum destinata in istius exordio Belli, & progressione vnum Maiestatis Pontificiæ decus, & Creditorũ solutionẽ spectauisse. Irritauerat etiã Venetos zelotypos Dominationis extructio quarundã Arcium in finibus Mantuani agri prope Padum Pontificis iussu perfecta.

His omnibus causis confluentibus quatuor hi Principes suas manus, quamuis separatas vnâ iungunt voluntate inuadendi ex suis finibus Pontificis Dominium; sed quia abominabantur arma aduersùs Pontificem procudere, vulgauerant ea ad Barberinos dirigi. Verè tamen in Pontificis Status Belli incommoda, & vexationes

nes

nes deuoluebantur. Parmensis Dux Bondenum, & Stellatam occupat. Veneti eam Prouinciæ Ferrariensis partem, quę cis Padum iacet, subigunt, & Figarolum muniunt. Magnus Dux Hetrurię in Castilionem à Lacu suum militem inducit. Dux Mutinę, quòd melioribus Pontificis Copijs obseruaretur, in Pontificis solo pedem figere nequiuit. Hinc per annum integrum hæc bella meditulium afflixerunt Italiæ.

Interea Galliarum Regina nunquam cessans ab officijs pacis componendæ (quod consilium hæreditarium à defuncto Rege habuerat) iniunxerat Cardinali Bicchio, vt Pontificem primùm, dein cæteros Principes Regia interposita auctoritate ad pacem solicitaret, quod Bicchius summâ cum felicitate exequitur; nam Pontifex senio, valetudine, & bello, tribus grauissimis hostibus fatigatus, tandem Reginę precibus cessit, & Castrum Duci Parmensi restituit.

Tot Principes, & melior Italiæ pars illud traxit ex hac pace emolumentum, quod secum fert declinare à belli vexationibus, & tranquillitatis felicitatibus frui; ad Reginam decus, & gloria peruenit, auctoritate sua, nomine, & internuncijs tam pestiferum, & execrabile bellum finiuisse, summoque Pontifici, & cæteris Principibus comparauisse quietem. Obsides à partibus dati Casale transmittuntur, vt inibi à præsidio Gallico tandiù custodirentur, donec

pro-

promiſſis ſatisfactum eſſet, & belli ſeminibus penitùs extinctis mutuâ occupatorum reſtitutione pax ex integro coaleſceret.

Cap. IX.

Colmæ tranſitus. Mardici, Burburgi, Lincij, Merullæ, Betunæ, Armenterij, Meneini expugnatio per Gallos. Hollandi Vlſta potiuntur.

1645.

GALLIÆ Principes, poſtquam rumores per Flandriam, & Germaniam geſtarum rerũ diſſipauerant, Pariſios reuertuntur, à Rege, & Regina humaniter excepti, laudatique: priuatis quoque congratulationibus, & Populorum clamore celebrata diligentia, fortitudo, dexteritas, rerumque militarium ad Galliæ emolumentum peracta conſilia. His veluti ſtimulis perciti, maiora factis meditabantur. Per totam hyemem bello intenti ſupplementa conſcribebant, augendique copias rationem inueſtigabant: laborum præmia Ducibus, qui virtute præſtiterant, à Regina conciliabant, omnia indagantes, quę ſuam, Regiſque cauſam promouerent.

Cũ primùm appetijt Ver, Aurelianenſis Dux in Flandriã mouit, vt Grauelingæ Dunicherchã adiungens præmeditatũ opus conſũmaret. Intercedebat

cedebat huic consilio Mardici Castrum inter Grauelingam, & Dunichercham extructum, imò ità imminens Canali, & Portui Dunicherchę, vt ipsius Dunicherchæ fortior pars, & Castellum videretur. Non poterat Dux ad Mardicum accedere, nisi Colma traijceretur, flumen vado difficile, & paucis in locis Ponti patiens, cuius altera ripa ab Hispano Exercitu obseruabatur; quare duo non exigua impedimenta eodem tempore Gallis obijciebantur exantlanda; fluuius scilicèt infidus, & hostis potens, quæ seiuncta exterruissent: quid inde si vnita? Galli qua parte diffusior amnis erat, trajectũ tentant, & impetrant, partim nando, partim in leniore fluminis tractu leuatis super capita vestibus, & armis aquam plerunque ceruices æquantem obiectu corporis abrumpentes, in aduersam ripã hostibus incustoditã emersérunt.

Difficilius Vadum experiri pro dolo fuit: hostes enim nunquam similem audaciam excogitantes, nudam reliquerant ripam, quam loci difficultate satis munitam arbitrabantur. Fluuij transitus submouit hostes à Mardico, nouem dierum spatio subacto; mox Burburgum, Linciũ proxima Oppida parent Victori: cui Maruillæ quoque deditio fluuij Lysiæ pontẽ commodat; hinc Betuna, Armenteria, Menehennium paucos dies Exercitum morata sunt: nobilioremque fecerunt victoriam, quia incruentam

Prin-

Princeps Orangius nullum adhuc dignum præſtiterat opus, diſtentus à Canale, qui Brugis Gandauum ducit; nec ex ſe ipſo audebat tranſire, impeditus munimentis, quę Hiſpani in citeriore ripa erexerant. Mareſcalli Gaſſonius, & Ranzauius Canalem petunt: munimenta euertunt: & quaſi vnitis manibus trahunt Hollandos cis Canalem. Inde expugnatio Vlſtę Batauis feliciſſimè ſucceſſit.

Dum his martialibus ludicris exhibebat Flandria Theatrum, Dux Anguinius in Germaniam progreditur, vbi iam Turenæ Copias Bauari viriliter profligauerant. Anguinius, diſſipato Exercitu recollecto, hoſtes ad Norlingam adipiſcitur, & collato pede confligit. Victoria, ac profligatio penè par; nam Bauari dextrum Gallorum cornu afflixerunt, Galli Bauarorum ſiniſtrum occidione occiderunt. Mercius Bauarorum Generalis interficitur, cum quo Bauarorum ſors, & fortitudo bellandi perijt. Receſſerunt Bauari, & Norlinga ſe Gallo ſubmiſit.

Cap. X.

Roſæ deditio. Tranſitus Siccoris. Profligatio Exercitus Hiſpani. Bellaguerij adeptio. Motæ Expugnatio.

1645.

CATALANI Anni præteriti infelicitates apud Reginam effusè deplorauerāt, etiāſi hę nullo administrantium errore accidiſſent, cum nihil omiſſum eſſet, quod illius Prouincię incolumitas exigeret. Abundè enim illuc demiſſæ Copię, nec auro parcitum erat, ita vt potiùs ad inconſtantiam fortunę, quàm ad alicuius peccatum calamitas aſſignanda eſſet. Vna Catalanorum vox apertè Motæ Generalis Gubernationem ſugillauit; quòd in ſui emolumentum ſtipendia militum, & bellicos apparatus conuertiſſet. Regina, vt Catalanis ſatisfaceret, & labes in illa Prouincia excitatas obſtrueret, ſelegit Comitem Arcurtium trophęis militaribus pręlucentem, quem Catalanis Prouincię Ducem aſſignauit; addiditque Mareſcallū Pleſium Pralinū re militari longè peritum. Iſti binis Exercitibus in Cataloniā pergunt.

Cata-

Catalonię ora ab Illiberi Barcinonem vſque producta obſequens Gallis erat, vna dempta Roſa portu amplo, & ſatis tuto exornata. Huc appellentes cum ſuis claſſibus Hiſpani, maritimis intercedebant commeatibus, qui è Ruſcinonenſe comitatu Barcinonem deuehebantur: à terra quoque expoſitus miles inſidioſa reddebat itinera, & loca muro ſpoliata improuiſis aggreſſionibus diuexabat: ita vt huius Roſę munimenti interiectu terrâ, marique Prouinciæ continuatio, & populorum otium rumperetur. Huius igitur Arcis expugnatione pręſens ſolatium afflictis Catalanorum rebus afferri decernitur. Arcurtius vltrà ad Hiſpanos pergit, ijs obſtiturus, ſi afflicto munimento præſtò eſſe vellent. Pleſius Arcem applicat: Fronſaci Duce potentiſſimâ claſſe obtinente maria ad hoſtilem claſſem à ſubſidio Vrbis prohibendam.

Roſa tormentis inceſſanter verberata, & ſuffoſſa cuniculis poſt quadrageſimum oppugnationis diem, vigeſimâ nimirum ſeptimâ Maij cecidit. Ad feſtinandum iſtius obſidionis exitū peculiari caſu fortuna concurrit. Nitratus puluis, igne concepto, voracitate ſuâ quadringentos obliguriuit milites, commeatuſque hauſit; nec minùs internas aliquas munitiones, quàm obſeſſorum animos quaſſauit. Inexpectata calamitas graui implicitis diſcrimine occurrens non præſenti modò ruinâ, ſed exitiali futuro-

turorum afflixit portento.

Roſâ decerptâ, Pleſius, & Arcurtius vnà in hoſtem ducunt, fructus etiam poſt flores collecturi. Hiſpani vltra Siccorim ſe tenebant contenti à fluminis tranſitu defendere Gallos. Plerunque abrupta montium ripas iſtius amnis componunt: Quare Præsbiter quidam Catalanus ſpeculatus Hiſpanorum excubias nimis fidentes rapiditati fluminis, & difficultatibus locorum negligenter commiſſum munus obire, pollicetur Arcurtio ſe tranſitum inueſtigaturũ; cui extemplò habitâ fide, S. Auneſius decernitur cum quatuor peditum miſſibus, & mille equitibus, vt Ductoris Præsbiteri inſiſteret veſtigijs. Ab hoc in loca penitùs non obſeruata Auneſius perductus immiſit quatuor milites, qui, tranato flumine, ſecũ traxerunt funem, cui Pons ex reſtibus contextus nectebatur.

Ponte aptato, ſingulatim militibus in vlteriorem ripam procedentibus, ſenſim Gallorum agmen gliſcens impetum facit in quaſdam Hiſpanorum munitiones, & in Camaraſſam penetrat, Oppidum ad Siccorim iacens, quod Ducem Germanum Præſidiarium Gallis venundediſſe vulgatum eſt.

Arcurtius, ad Camaraſſam ſublicio ponte extructo, cum vniuerſis Copijs, & impedimentis in hoſtile ſolum tranſcendit, vbi iam præmiſſi milites occupauerant Scalam. Scala vocabatur

ardua

ardua quædã,& rupibus inuia munitio,ità dicta, quia non nisi per gradus ad illam ascendendum esset . Ad has hostilitates Cantelmus Hispanorum Generalis euocatus, Exercitum tunc collegit , cum Arcurtius à montibus expeditus ad plana descendisset . Ideò , omni circunscriptâ morâ , stataria pugna conseritur , in qua , etsi nec virtus , nec animi Hispanos deficerent, nihilominus profligantur. Marchio Mortaræ Campiductor Generalis cum multis alijs nobilibus Ducibus , & quatuor militum millibus in vincula traditur :non modica pars ferro absumitur : reliqui cum Cantelmo ad Bellaguerium receptum habuerunt : vbi obsidionem tandiù sustinuerunt , donec fames deditionem eos pacisci coegit.

Interea Mota inexpugnabile Lotaringiæ munimentum maximâ Gallorum obstinatione oppugnatum quarto mense vi explosi cuniculi suo Duci perijt . Galli enim contenti molestiæ exemisse vicinas Regiones ab illo præsidio contributionibus , & expilationibus vexatas , hanc Arcem funditùs euerterunt , tanquam nulli destinatam vsui in tantâ munimentorum copiâ illam viciniam ab hostilibus insultibus tutam præstantium .

Cap. X I.

Quo in Statu res Danorum eſſent, & pax inter ipſos, ac Suecos. Anſfeldius à Suecis funditur. Pax inter Imperatorem, & Tranſiluanum.

1645.

HOLSATIA, Et Ditmarſia, Prouinciæ Germanię aſſines, eam partẽ Regni Daniæ conſtituunt, quæ ad Germanos extenditur, & hęc à Suecis, qui ex Germania defluxerant, corripiebatur. Scaniam vltra mare Holſatię, & Ditmarſiæ oppoſitam, Suediæ hærentem, partem non exiguam Regni Danici Ornus Mareſcallus, Exercitu in Suedia conducto, diſcerpebat. Tertia Danici Regni portio in varias Inſulas diſperſa occupat fretum illud, quod inter Germanicum, Sueticumque mare dilatatur. Quæ Inſulæ (etiamſi in reliquas Prouincias, quà pedibus itur, graſſaretur hoſtis) diù bello immunes fuerant. At, poſtquam Claſſis Danica à Suecis, adminiculantibus Hollandis, afflicta eſt, cœperunt laborare Inſulæ, inter quas Bornolmenſis Suecis paruerat.

Regnum itaque Daniæ in varias diſſipatum Prouincias longo terrarum, mariſque tractu

se extendens hostilibus insultibus vndequaque patebat. Rex nihilominus deuastationes æquo animo tolerabat, sperans parui temporis intercapedine posse vicem Suecis reddere. Inter vexationes, & ærumnas ipsius subditi sensim indurabant corpus ad belli incommoda, & firmabant animum aduersùs pericula. Ipse vndiq; contrahebat Copias, & opportuna belli parabat; ita ut Sueci ab Imperatore, & Rege circumuenti, tandem in tot distantioribus locis dissipati periclitarentur succumbere.

Quæ omnia & Gallis, & Batauis nullo modo grata erant; nam, si Sueci expunctum Daniæ Regnum in se transtulissent, tantis opibus glisscentes, parùm Gallos, nihil omninò Batauos respexissent, & pro arbitrio Danicum fretum commeantibus vectigalia constituissent; nec inueniretur, qui aduersùs tantam vim hiscere auderet.

E contra, si Danus vires suas instaurasset, & exercere Suecos cœpisset, isti aduersùs Imperatorem minùs validi fœderatis potiùs oneri, quàm vsui fuissent. Hisce rebus trutinatis, Galliæ Regina Tuilleriũ Nuncium extra ordinẽ Dano ablegauit, cui iniunxerat, vt inter hos duos Reges pacẽ obnixè promoueret, cuius Nuncij dexteritate, ductu, & industriâ tandẽ composita est.

Rex Daniæ cessit Suecis Insulas Gotlandiæ, & Oesel hereditarias, nec non Prouincias

cias Olland, & Ieneptiæ ad quinquaginta annos vsufructuarias : Danici freti vectigal castigatum est. Sueci ab hoc bello feliciter expliciti, in Germaniam se conferunt quò iam Torstensonius redierat, secumque Galassum traxerat, qui suppetias Dano venerat allaturus. Sed Galassus senio, & valetudine diductus apud Imperatorem se contulit, & Exercitum Ansfeldio dimisit.

Ansfeldius, ex Copijs vndique confluentibus integro Exercitu conflato, non recusauit pugnam excipere, quam ei Sueci vltrò obtulerant. Pugnatum acriter, & impigrè est : tandem Imperiales iniquam etiam fortunam hìc experti sunt. Multi transfossi, non pauci captiui, inter quos ipsemet Ansfeldius. Hinc Sueci, aditibus sibi patefactis, rursus Morauiam impetunt, & Viennæ denuò se ostentant. Danubij inibi in quinque latissimos ramos diffusi pontis defectus transgressum inhibuit. Torstensonius iterum Brinam inuadit, qua inutiliter oppugnatâ, extenuato peditatu, minimum tantę victoriæ fructum collegit.

Mœstitiam, quam ex Danorum cum Suecis pace Imperator conceperat, Nuncius Constãtinopolitanus solatur, à quo Transiluanus iubetur hostilia dimittere, & Imperatori se conciliare. Rarum dictu Turcis placuisse pacem, quo tempore bellum ipsis frugi fuisset. Transilua-

nus paret Turcarum Domino, res ſuas cum Imperatore componit, qui pacatâ Vngariâ, expeditiùs vacare poterat bello aduersùs Suecos.

Cap. XII.

Vigeuani expugnatio, & Pugna in illa Mediolanenſe Plaga, quæ Prò dicitur.

1645.

PRINCEPS Thomas à Sabaudia, cum ſatis firmus non eſſet ad erodendas duriores Arces Status Mediolanenſis, facilioribus ſe applicabat. Hoc anno in Lomellinam egreſſus Vigeuanum appetijt. Ciues ſuæ conſcij debilitatis illi portas Vrbis aperiunt. Duę Hiſpanorum Cohortes recenter in Caſtrum inductæ, veteribus vnitæ militibus defenſionem inſtituunt; ſed hoc Caſtrum antiquis operibus imperfectum hoſtiles machinationes diutiùs arcere non poterat; ideò propugnatores ad Victoris clementiam confugiunt. Hæc Ciuitas ſicuti Exercitui nutriendo ob ſui feraciam apta erat; ità ob imperfectas munitiones per totum hyemis ſpatium viribus hoſtilibus circundata ſuſtineri non poterat; quare, exeunte Autumno, Caſtro, & Vrbis mœnibus dirutis, cum

cum Exercitu ad Pedemontanas stationes recedendum erat. Nec laus fuisset modica tenues copias in solo hostili aluisse, & in conspectu hostis Castrum euertisse: sed, dum Princeps suæ cupit tueri victoriæ monumentum, & Galliarum Rex desiderat Mediolanensi Ducatui hærere, gloriosè adepta tuendi pertinaciâ deformant. Portione non exiguâ peditatus, quo plurimùm egebat Exercitus, ad huius Castri custodiam relictâ, iter in Pedemontem Princeps intendẽs animum fecit Hispanis tenues Copias fatigandi, vias insidendi, laborioſumque ijs præstandi receptum. Fluuius Mora superandus erat, qui vnicum præbebat vadum, vltra quod iacebat vrbanum rus satis benè materiatum, quod ab Hispanis munitum Gallicas Copias necessarijs rebus indigas in angustias coniecisset.

Dum vasa colligerentur, & digressus expediretur, fortè equitum turma prædatum egressa conspicuum quendam virum captiuum duxit, quem Comes Trinitatis Campiductor ex vetere amicitiâ de Exercitus statu familiariter compellans, docetur Hispanos in motu esse, & prædictum rus festinare, vt Gallos vado interdicerent. Comes illicò ad Principem accedens illi aperit, quantum captiuus sibi renunciauerit, ostenditque periculi amplitudinem in momento consistere. Festinatione duntaxat ab imminente ruinâ eximi copias posse. Quibus rationibus per-

motus Princeps delegit Mauritium à Sabaudiâ, & ipſum Comitem cum expeditis Copijs, vt campeſtrem illam domum, quę vadum ſpectabat, vel ante Hiſpanorum acceſſum milite firmarẽt, vel, ſi iam Hiſpani præſidium in eam induxiſſent, illud extruderent. Vix ad vadum peruenerant, cùm vident à turmâ Hiſpanorum illud cuſtodiri; nulli dubium videbatur quoque Rus teneri. In re tanti momenti viſum eſt periculum facere, & omne ſubire diſcrimen. Comes Trinitatis inſtantem contemnens perniciem in vadum deſcendit, atque hinc Hiſpanum Equitem nullo peditatu conſociatum in fugam auertit. Mox vltrà intrepidè procedens rus vacuum contra ſpem conceptam inuenit: in quod vix Peditem inſinuauerat, cùm ſeptem Hiſpanorum Equitum turmæ, & Peditatus Phalanges in conſpectum ſe dant rus petentes.

Interea Mauritius, tranato flumine, cum reſiduis Copijs Comiti iungitur, locusque defenditur, donec Princeps cum Exercitu, & impedimentis flumen vadauerit, qui vltrà pergens obuiàm habuit Hiſpanos in câ Mediolanenſi Regione, quę Pro dicitur, vliginibus protectos aduersùs equitatum, quo ipſe plurimùm valebat. Hi nouem tormenta in hoſtiles Copias explodunt: atrox pugna committitur, in qua & Thomas, & cęteri Duces animi fortitudinis luculentiſſimum prębuerunt experimentum

mentum, viamque, licet oblitam ſanguine, ſibi, & omnibus impedimentis, repulſo hoſte, patefecerunt. Cæterùm ob iniquitatem loci multi Duces deſiderati ſunt, inter quos Mauritius Principis Thomæ frater interritus adoleſcens, & Blanciuilla equitatus Sabaudici Legatus, Dux eximius, veteranus miles, qui ad id temporis pluſquam triginta habebat ſtipendia. Hiſpanorum iactura inter gregarios milites ſtetit, qui per hyemem Vigeuani Arcem haud operosè ſibi reſtituunt.

Cap. XIII.

Curtræa, Berga, Mardicum, Furnum, Dunichercha Gallis ſe dedunt. Hollandi cum Hiſpanis tranſigunt, Gallis inconſultis.

1646.

ANNVM 1646 Gallorum geſta aduersùs Flandriam memorabilẽ fecerunt; n am cum ſatis prouisũ eſſet rebus germanicis hiſce duobus anteactis annis, Anguinio ducente; adeòque extenuati fuiſſent Bauari, vt nihil inde timerctur. Duo Principes Aurelianẽſis Dux, & Anguinius armis, animoque conjuncti in Flandriam ſuos immittunt Exercitus

quatuor Mareſcallis Legatis, Meileræo, Gaſſonio, Gramontio, Ranſauio. Qua in Prouincia, cum iam omnes ad penetralia paterent aditus, & ad ripam Lyſiæ nonnulla Oppida elapſis annis occupata muniuiſſent Galli, in militari conſilio de Curtræa inuadenda decernitur, apta ad exprimenda vectigalia ab vniuersa Flandria, & ad illiciendos ad pugnã Hiſpaniæ Generales, Picolomineum, Carolum Lotharingiæ Ducem, & Caraſenã, ne tã opportuna Ciuitas à reliquo Prouinciæ corpore diuelleretur. Dum ferrei globi, & cuniculi mœnia Curtræę diſturbant, Hiſpani ſe Exercitui obſidenti venditant, faciẽque rerum ad prælium ineundum componunt: ſed paucos dies commorati incepto, & Curtræâ excidunt. Galli hac victoriâ perciti ad extremos Flandriæ limites excurrunt.

Hiſpanos fruſtrà pungunt, vellicantque, vt velint prelio decernere: Hollandis ſex hominũ millia cum Gramontio Mareſcallo iungunt; recedentes ipſi Canales, & Flumina inauditâ ferociâ, & celeritate peruadunt. Nullus hoſtis in conſpectu, quaſi in pacatâ Prouinciâ, & nullibi reſiſtente dimicaretur. In Bergam per cædes, & murorum ruinas deſcendunt; Mardicum ab Hiſpanis extemporaneo facinore recuperatum, & Furnum ità ſuperant, vt numeroſa præſidia ſe captiua tradiderint. Omnia tamen hęc ad Dunichercham collimabant; &

licet

licet ſingula adeò magni faciẽda eſſẽt, vt aliàs integram hauſiſſent expeditionem. Tunc eò felicitatis euaſerant Galli, vt illa manca iudicarent, niſi Dunicherchæ expugnatione abſoluerentur. Mare Hollandi claudunt: Galli à terra Dunichercham circundant: & Vrbem terrâ, marique præclaram opus viginti quinque dierũ ad Gallorum dominium perducit.

At quantùm à noſtris metipſis conſilijs vel ad vnguẽ examinatis decipimur! Cogitationes Mortalium, quæ elephantos in ſuis vaſtiſſimis conceptibus effingunt, frequentiſſimè abortiũtur: imò cum gigantæis illis fœtibus pereunt: & quæ ſalubria, ac vtilia nobis reputabamus, lethalia, ac pernicioſa offendimus. Pro certo eſt tantâ bellorum mole hoc anno Gallos in Flandriam detonuiſſe, omneſque neruos in eam intendiſſe Prouinciam, & Batauorum coniunctionem molitos eſſe, vt Hiſpanos minis, & terrore ad honeſtę pacis conditionem perducerent.

Sub hoc nempè tempus in Monaſterij, & Coloniæ conuentu pacis articuli ventilabantur, quam Regina, vt Regno, Regique pupillo conſuleret, omnibus votis ſuſpirabat. Sed Hiſpani malè ſeſe temporum accommodabant malignitati: ominantes ſibi feliciora, pernicioſum potiùs bellum, quàm decentem pacem pati poterant. Dum itaque Regina tum præſentibus iacturis, tum futurarum cladium metu in Hiſpano-

panorum animos nititur pacis desiderium instillare, Hollandis opportunitatẽ præbuit opulentam pacem mercandi: &, dum studet hostẽ sibi conciliare, amicum perdit.

Obseruantes Bataui Hispanós adeò depressos, vt nisi cum vniuersa ruina præsens sustinere bellum non possent, à Gallis secedunt, & pacẽ seorsim cum Hispanis cõponunt: eos tranquillitatis fructus colligentes, qui Gallorum sanguine fœcundati maturuerant.

Cap. XIV.

Expeditio Orbitelli. 1646.

DVM hoc anno miratur Europa tot fortissimos Exercitus è Gallia prodeuntes, ita vt prę annis pręteritis maioribus Copijs in singulis Prouincijs administraretur bellum, increbruit procul dubio miraculum: dum videt nouum bellum de integro renatum paritate virium tractari. Dux Fronsacus, Classis Gallicæ Præfectus vltra omnium expectationem cum viginti triremibus, quadraginta rostratis nauibus, aliquot incendiarijs, & centum minoribus nauigijs è Prouincia soluit. Prætoriam nauim conscenderat Princeps Thomas cum sex armatorum millibus in vniuersa Classe distribu-

tis

tis, omnique bellico apparatu ad oppugnandas à terra Arces, dum Claſſis teneret Maria. Tanta celeritate, & ſilentio hæc fuerat inſtructa Claſſis, vt priùs Hiſpanus detrimenta ſenſerit, quàm quicquam de ipſa reſciuerit.

Conſueuerat Gallica Claſſis annis præteritis in Cataloniam velificare: nunc ad Argentariũ montem proras vertens, atroci procellâ aliquandiu iactata, mox compoſito mari, terram tenuit, in quam temporis momento vniuerſus Exercitus cum Principe Thomâ exilijt. Adnitentibus triremibus, S. Stephanus, & Thalamonium, propugnatoribus exterritis, traduntur. Mox Princeps Thomas ad Orbitellum ducit, Oppidum opere, & ſitu munitum, quod lacu vndique circundatum, vnâ duntaxat appendice continenti iungitur. Hic (quis crederet?) Gallorum impetus frangitur cùm loci naturâ, tum validitate præſidij, quod aduentu Caroli Gattę Neapolitani, belligeri Viri nauiter ad reſiſtendum accenditur.

Gatta in obſidione Taurinenſi fortis Viri famam ſuſtinuerat; ideò à Duce Arcos Neapolis Prorege, cum irrepiſſet ſuſpicio Gallicę Claſſis, pro Gubernatore Orbitellum miſſus, officio ſuo ritè functus eſt. Animus illi, nec fortuna defuit: diuturnæ obſidioni par promiſſa à Prorege opperitur auxilia. Neapoli enim pecunia, & miles extemplò collectus eſt: Claſ-

ſis

ſis illico exornata: Triremes vltra triginta: Nauium numerus æqualis hoſtili. Hæ duæ Claſſes ſibi inuicem appropinquantes, ictu bombardarũ ſe laceſſunt. Tres dies perſeuerauit conflictus pari Marte, ni Fronſacus mortem oppetijſſet ictu globi confoſſus.

Interitu Præfecti exanimata Gallica Claſſis, perinde ac ſi Hoſtis conſpectum formidaret, in Prouinciam receſſit, Thomam Principem deſtruens, & maris poſſeſſionem Hiſpanis concedens, qui cùm certò ducerent hoc intempeſtiuo receſſu timoris confeſſionem ab Hoſte expreſſiſſe, iam de victoria certi militem in terrã exponũt ad fatigandos Orbitelli oppugnatores. Deinde vniuerſa Claſſis S. Stephanum, & Thalemonium adoritur, nihil verens, quin pari facilitate, qua iſta Oppida ad Gallos abierant, in ſui poteſtatem redirent.

Princeps Thomas Thalemonio præfecerat Bonardum Pedemontanum militaribus facinoribus clarum, in primis Arcium Propugnatorẽ eximium, qui integros Exercitus Munimenta à ſe propugnata inceſſentes pluries viderat; Idcirco tanto armorum impulſu, tanquam in re aſſueta nihil motus aggreſſionem ſuſtinet, & reprimit: cogitque hoſtes ocyùs, quàm deſcenderant, ſubire Naues, ſex æreis tormentis in littore relictis. Interea Orbitelli obſidio ſegniter premebatur, effætâ Gallorũ Acie: & Neapoli-

politanus Exercitus, impetrato à Pontifice tranſitu, ad obſeſſam Vrbem liberandam properabat. Inter has anguſtias commodùm aduenit Claſſis Gallica cum commeatibus, ad quos aſciſcendos euulgans ſe profectam eſſe, fugæ ignominiam vtcunque deleuit. Princeps militibus ferro, & aeris intemperie conſumptis, cum reliquijs Exercitus ab Orbitello recedit, Naueſque conſcendit, Thalemonium, & Sanctum Stephanum vacua deſerens.

Cap. XV.

Plumbinum, & Portolongonium à Gallis expugnantur. Cauſæ iſtarum expeditionum.

1646.

ORBITELLI Expeditio ſomnolentiores Italiæ Populos ad perpetuas vigilias impegit, curiſque vacuos impenſiſſimè ſolicitauit: trãquilliſſimi Pontificis otium in primis excuſſit: magni Ducis Hetruriæ interpellauit quietem: Neapolitanum Regnum militum delectu, coactione pecuniæ moleſtauit: omnium animos erexit. Mox tanti tumultus in facetias degenerarunt. Qui riſus? qui ioci apud parùm adamantes Gallię? Ad multos annos nullas

Fran-

Francię ſuperfuiſſe vires, nec animum ad inuadendam Italiam deprædicabatur.

At nunquam calamitas tam citò reparata; nunquam iactationibus inimicorum Galliæ tã minimum conceſſum ſpatium ad pœnitentiã. Eadem Claſſis, exceptis quinque millibus militum ex ijs, qui contra Mediolanenſem Ducatum ſtipendia pro Gallia faciebant, duobus Mareſcallis, Meileræo, & Pleſis Pralino Ducibus eadem Tuſci maris littora relegit; expugnatoque Plumbino Oppido Hiſpanicis obtento Preſidijs, in Helbę Inſulam deſcendunt Galli, & Portolongonio obſtinatâ obſidione potiuntur. Portolongonium inſignitur ſtatione aduersùs maris iras tutâ, nauigationibus adeò commodâ, vt commercium ab Hiſpanijs ad Neapolitanum Regnum dirimat.

Magnus Hetruriæ Dux medius Hiſpanos inter, & Gallos pro neutris fecit, ſummaque conſtantiâ, & prudentiâ vtriuſque amicitiam coluit. Tota domus Pamphilia Barberinis inimica, Gallis parùm grata contremuit, præcipuè cùm Plumbinum ad Ludouiſium Principem, Pontificis Nepotem pertineret: quod Oppidum Romano littori proximum, Gallicæ factioni illius Ciuitatis incentiuum, fomitemque ſuppeditabat.

Obſeſſio Portilongonij integrum menſem Gallis abſumpſit, quo tempore Hiſpanica Claſſis

sis ad ferendas suppetias Oppido laboranti nusquam apparuit, & tamen paulò antè ad subleuandum Orbitellum adeò numerosa venerat. Putarunt Hispani Cladem Orbitelli esse decretoriam illius anni, nec posse Gallos deiectas illico instaurare vires; ideò huic fallaci coniecturę hærentes, Classem suam non reparauerãt.

Nõ possum mihi temperare, quin rimer istius expeditionis arcanum, quod tot prudentium ora & in Gallia, & in Italia aperuit. Tunc Gallia tot explicabat Exercitus, quot erant ditiones Hispanorum, aut Imperatoris, quas tangebat; ideo satis videbatur tot diuersis Exercitibus exhauriri, & consuetis bellis defatigari, absque eo quòd noua quærerentur; cum præcipuè hoc bellum, de quo agitur, tot afferret Gallis dispendia.

Etiamsi Regnum Neapolitanũ paribus, & fortasse maioribus sumptibus huic nouo bello videretur respondere, & coacti essent Hispani eã inibi erogare pecuniam, & illos commeatus insumere, quos aliò misissent: hinc fieret, vt hostis pluribus in locis distractus singulis minùs sufficeret. Attamen Neapolitanum Regnũ obviciniam istius belli multa subministrabat, quæ aliò mitti non poterant; præcipuè militia, quæ ad Regni defensam, & tutelam reseruatur, huic bello opportuna erat ob propinquitatem locî, in quo bellabatur, cùm hæc ad Mediolanensem

Duca-

Ducatum, vel ad alias Regiones transmitti nequiret.

Vlteriùs premebant se Neapolitani, & multas opes contrahebãt ad propius bellum arcendum, quę, vt ad alias remotas partes, in quibus bellũ flagrabat, mitterentur, à populis expressæ non fuissent; ideò ex parte Hispanorum hoc bellum parùm eleuabat vires aliorum bellorum.

Galli quidem potuissent cõmodiùs hos apparatus, & impensas aliò conuertere, & amplificare bellorum molem ad aliquam propinquiorẽ Prouinciam obruendam. Hoc potissimùm anno, si tam enormes sumptus Flandricis expeditionibus additi fuissent, nouo, & florenti Exercitu hęc Prouincia concussa forsitan succubuisset; nam si parum abfuit, quin hoc anno Gallis palmã cederet Flandria, quid deinde, si noui Exercitus, & pecuniarũ pondus hoc Hetrusco bello dilapidatarũ accessisset? Profectò Res Hispanica illic labascens periclitabatur penitùs corruere.

Ad comparandos terrestres Exercitus grande requiritur impendium, fateor; sed maritima Classis sic instructa, vt Exercitum in terram exponat, sibi proluuium poscit. In Belgio, Mediolanense Ducatu, & in Germania, quæ ad victum erant necessaria, capiebantur in hostili ditione, & Exercitus potentior debiliorum impensis alebatur; at in Hetruriæ littore, præter

saxa

ſaxa, & arenas, nihil raptui expoſitum eſt. Victus hominum, & equorum ad iuſtum auri, argẽtique pondus mercabantur milites : Præſidijs adeptarum Arcium vna ſpes viuendi in pecunia, quæ ex Gallia afferebatur, poſita erat : nullum vectigal, nullæ contributiones è ſubactis trahebantur.

Porrò licet Galli ſponte vagentur, nullos tamen magis, quàm ipſos deſiderium Patriæ, poſt certam temporis decurſionem, fatigat : tædio capti deſerunt acquiſita, vt poſtliminio reuertantur. Præter antiqua experimenta, nouum, & luculentum habemus in Gallorum regreſſu à Loco Gigeris in Mauritano littore adepto, & munitionibus firmato non ſine magno labore, & impenſis, quem potiùs deſeruerunt, quàm ab eo expulſi ſint. Subijciuntur Galli cuidam infelicitati, vel potiùs impatientię conſeruandi remota; ideò Reges Galliæ, ſi velint acquiſita diutiùs ſibi hærere, incumbere proximis, declinare longinqua debent.

Vna Ciuitas Belgij vtilior eſt Gallis remoto Regno. Portolongonium, & Plumbinum præterquam quòd validis Præſidijs cuſtodienda erant, ac multi auri, & hominum diſpendio, eorum inſuper conſeruatio contrahebat neceſſitatem in procinctu Claſſem maritimam ſemper habendi; ita vt expenſa iſtius belli non videretur reſpondere vtilitati, quæ ſperabatur.

E contra Regni Neapolitani tumultus, qui eueſtigio ſubſecuti ſunt, prodiderunt arcanum compendioſiſſimum illius mentis, quæ hoc bellum exciuit. Cauſa etiam Barberinorum, ad quam nouum bellum referebatur, prętexebat ſolida argumenta, & rationes validas Hetruriæ littora armato milite obtinendi. Barberinorũ factio adhærens Gallis, horum res extollebat Romæ, vbi prę Hiſpanorum potentiâ videbantur deiectæ. Barberini vexati à Pamphilijs, ſub Galliarum vexillum ſe receperant; Regiæ commendationes deſpectui ijs erant in Hiſpanorum partes defixis. Non igitur præſentius conſiliũ iniri poterat, quàm bellum illud moliri, quod eodem tempore Hiſpanos affligeret, & Pamphilios exterreret; nam, ſi Gallia in hoc bello patrando ſubibat impenſas, Hiſpani prętер pecuniæ profluuium amittebant Arces: Regnumque Neapolitanum contremebat. Interea Gallici Regis auctoritas, quam Romæ ipſa maieſtas Regia ſatis non fulciebat, proximitate armorũ emicuit. Barberina domus penè ad interitum redacta, ad priſtinum florem reuixit maximâ cum Gallię laude, & gloriâ, cum Pamphilij etiam in poſterum Gallorum res minùs faſtidioſè reſpicerent.

Arcur-

Cap. XVI.

Arcurtius à Leridæ obsidione decutitur. Hispaniarum Princeps moritur. Vrangelius Suecus, & Turena Bauariam expilant.

1646.

QVAMVIS hoc anno Gallica Classis infesta oræ Tusci maris in Cataloniã non perrexisset: inibi tamẽ non destiterunt Gallica arma insigniora aggredi facinora. Comes Arcurtius Leridam applicat, horribilique coronâ Vrbem circunsistit; sed, dum tentat appropinquare propugnaculis, cum suorum strage repellitur; hanc enim Vrbem præsidium validum propugnabat; quare contentus simplici obsidione Arcurtius, lato aggere, profundâ fossâ, castellis, munimentisque ad regulam militarem extructis Vrbem circumscribit, opperiens famem, quæ tandem Hispanos ab illa exigeret.

Comes Arcurtius longâ obsidione Taurinũ submiserat, & licet Gallus, tamen contra suæ gentis genium more impatientem patientiâ vincere decreuerat; sed fortuna penitùs se ab Arcurtio ad Leganesium Hispanorum Ducem

conuerterat; nam ſicut in obſidione Taurinenſe Arcurtio famulata erat: ita in Leridę oppugnatione Leganeſio obſecuta eſt. Circa finem ſeptimi menſis, quo Lerida obſidebatur, langueſcentes Gallici Exercitus Copiæ latiſſimũ vallum ægrè tuebantur; quare Leganeſius cum Duce de Infantado lineã valli raro milite cuſtoditam inopinatâ, & nocturnâ aggreſſione inuolat, & conſcendit Caſtrum, quod Rebecum vocabatur. Arcurtius, cum omnem operam adhibuiſſet ad expellendos Hiſpanos, impos voti factus, cum amiſſione impedimentorum obſidionem deſeruit.

Fortuna Hiſpanorum fauſta, & infauſta, alternans voluit Leridæ victoriâ lenire acerbiſſimum vulnus, quod illi Monarchiæ mors Principis Hiſpaniarum inflixerat. Vnicus hęres tãtorum Regnorum in ipſo adoleſcẽtiæ vigore malignâ febre extinguitur. Rex pater intrepidè hunc grauem ictum excepit: in hac communi, & priuata calamitate extitit ipſe conſolator aliorum: verens, ne hac morte turbatus Leganeſius, Leridę ſubſidium negligeret, epiſtolam ad illum dedit, in qua explicans, quantâ animi æquitate filij mortem ad diuinum referret arbitrium, eum hortabatur, vt Leridę præſtò eſſet, neue negotium tam impenſum Monarchię, mœrori indulgens aſpernaretur.

Vrangelius Suecus ſuccedit Torſtenſonio, qui

qui Exercitum ſuum Turenæ Mareſcallo vnit; vnio ad id temporis à Gallis fruſtrà deſiderata, quæ maxima peperit vtriſque fœderatis emolumenta. Eximitur tamen annus ſine nobiliori facinore, prçter deuaſtationem Bauariæ, quç à multo tçpore bellicis excurſionibus non adita, opimas prædas ingredientibus oſtentabat. Quare Vrangelius, & Turena, fruſtrà tentatâ Auguſtâ, prçdabundi hanc Prouinciam excurrunt. Archidux Leopoldus cum Exercitu Cçſareo Bauaris Copijs permiſcetur; hinc Bauaria amicis, inimiciſque, nullo inito prçlio, expilatur. Exclamante Duce Cæſaris ſubſidia veniſſe non ad hoſtes, ſed ad ſuos ſubditos peſſundandos.

Cap. XVII.

Geſta in Flandria. 1647.

ANNO 1647. alia & in Belgio, & in Italia bellorum facies emerſit. In Italia nouus hoſtis aduerſùs Hiſpanos Mutinç Dux. In Belgio antiquus Hiſpanorum hoſtis, Batauica nimirum Reſpublica conciliationem inijt. Archidux Leopoldus Belgij Gubernator nihil timens à Batauis, qui Exercitum in ſuas Prouincias reduxerant, maturè in Gallos mouit; cum expeditis Copijs ad viginti hominum millia

Armenterium circumuallat tutus à tergo, præstitâ Batauorum fide, & à fronte adhuc in hybernis quiescente Gallico milite. Gallię Regina cum Cardinale Mazarino Ambianum venit, sua proximitate stimulatura militem ad sese congregandum, opemque laborantibus ferendam; & profectò ipsius diligentia desiderata in tempore præstiterat, ni defectus tormentarij pulueris omnes peruertisset solicitudines, & Armenterij propugnatores Hispanorum imperata facere iussisset.

Hinc in Cominum, & Lentium Archiducis arma perrumpunt; mox Landrecium circumscribunt, quò Ranzauius, & Gassonius cũ Exercitu conuolant: volebatque Gassonius Marescallus periculum pugnę facere, sed Ranzauius, maturo nimis consilio vtilem Gassonij corrupit audaciam. Landrecium ad Hispanos redijt. Interea isti duo Marescalli parùm conuenientes animo, & consilio Copias partiuntur: Gassonius inuolat Basseam: Ranzauius Dixmudam. Si Exercitus iste Principem aliquem prætulisset in capite, qui vires, & consilia horum duorum Marescallorum in vnum vinxisset, profectò Gassonius ad Lentium mortem minùs illustrẽ ob ignobilitatem loci non obijsset: sed saltem glorioſiùs mortuus esset in oppugnatione præclari alicuius munimenti; nam procul dubio operationes istius Exercitus infra vires erant.

Coit

Cap. XVIII.

Coit Pax inter Hispanos, & Hollandos, inconsulta Gallia. Causæ, & rationes istius Pacis.

1647.

HOLLANDI Æstate istius anni transigunt cum Hispanis: in media tempestate Gallos deserunt. A multis annis lenitas operandi eos fastidire bellum indicabat. At quis impensiùs abhorrebat à bello Gallię Reginâ? ob insignem animi pietatem, cui aduersantur militares populationes, ob charitatẽ summam erigendi subditos à belli ærumnis, & vniuersam Rempublicam Christianam dono pacis demerendi; sed illi liberum non erat inhonesta pace fœdare Mariti victorias, vel irę, & libidini potentioris Hostis obijcere fœderatos.

Quæcunque calamitas subeunda potiùs esset, quam ex amicorum ruina elicere compendia; ideò, vt suæ administrationis decus, & fœderatorum fortunam assereret, eò validiùs exornabat bellum, quò flagrantiùs pacem deperibat: & hac via antiquorũ etiam Decreta prudentissimè prosequebatur: nempè acriori bello citio-

rem, & tutiorem pacem comparari.

Sed Hollandi ex aliorum dispendio sua trahebant cõpendia: eò leniùs vrgebant bellũ, quò à Gallis vehementiùs premebatur; sperabant enim procelloſiores nimbos in alieno Cœlo sibi serenitatem allaturos esse: nec eos constitutum fefellit. Nam Hispani à Gallis adeò seuiter verberati, tales pacis conditiones illis ingerũt, quales nec voto maiores percipere potuissent: ne non semper multum Batauia Gallię deberet, dum tam grande beneficium, pacem videlicet compendioſissimam ex illius amicitiâ neglectâ sibi pararet.

Batavi nec politicè, nec gratè hanc pacem, inauditâ Galliâ, sanciuerunt. Politica illam aspernatur pacem, quæ in præsenti vtilitatem ostentat, & in posterum minatur exitia. Verùm pax, quam cum ipsis irrogabant Hispani, nullâ sinceritatis notâ aspergebatur. Non enim hanc componebant Hispani, vt quiescerent, sed vt, vno hoste sepoſito, cum alio fortiùs bellarent: potuissent cum omnibus transigere, si æquis conditionibus indulsissent; sed ideò Hollandos prodigalitate alliciebant, & Gallos malignis reijciebant conditionibus, vt cum illis pacati expeditiori bello Gallos, quos nequaquam ad pacem admittebant, contunderent: quibus semel profligatis, non dubitabant extorquere à Batauis, quę concessissent, vt temporum iniquitati

quitati prudenter parerent.

Hollandia ex se nullum exhibebat negotium Hispanis. Profundiora vulnera ad Gallos referebantur, quibus semel ita ad cicatricem perductis, vt inde nihil amplius mali speraretur, de Hollandis actum esset: satis roboris Hispanis supererat ad decoquendas Hollandorum vires auxilijs Gallorum destitutas. Conspectũ igitur omnibus fiebat istius pacis irrogatione amicitiam cum Hollandis non iungere Hispanos, sed hostilitatem ad meliora tempora differre.

Profectò Hispani fila telæ, quam texebant, satis iusta orditi erant; si enim in belli ciuilis conuulsionibus, quę hanc pacem eueſtigio consecutæ sunt, contigisset Galliam in tot dispertiri Prouincias (quod vnicum fuit semper Hispanorum constitutum) tunc experti essent Batani, quàm carè istius commoda pacis emisſent. Sed quia hanc ruinam Deus auertit à Gallia, quæ à Ciuili emergens bello Hispanos in tot clades demersit, vt illis tandem pax vel inuitò placuerit; idcircò prudentiam suam plus ex rerum euentu, quàm ex æqua consilij lance iactare possunt Hollandi, quòd pacem adiuerint opportunissimo tempore, quo, cùm Lusitani in Hispanos intenti. Indiarum res respicere non possent, ipsi antiquam negotiorum suorum fimbriam dilatauerunt.

Pru-

Prudentiam ſuam toti Europæ cõſpicuam fecerunt Sueci, qui examinantes ſtationem in Germania poſitam ſine Galliarum fulcro ęgrè ſuſtineri, ad pacem nunquam ſine Galliarum ductu perrexerunt, quę paulò pòſt compoſita eſt. Si Batauis eadem extitiſſet mens, & ab æquitatis obita in tractanda pace non deflexiſſent: profectò ſub illud tempus vniuerſalis Pax coheſiſſet, nec Gallia belli Ciuilis fluctibus tot annos iactata eſſet.

Si Princeps aliquis imperaret Batauiæ, parùm grati animi labe ſugillaretur; ſed quia hac nota inficitur Reſpublica, ideò videtur neminem tangere, quia pertinet ad vniuerſos, & Reipublicæ peccatum ſingulos excuſare. Rempublicam Magiſtratus ex pauco hominum optatus numero gubernat, qui ad tempus ſuo functi munere in ordinem redeunt, & alij ſufficiuntur. Hinc fit, vt beneficia in Rempublicam collata, factâ Magiſtratus mutatione, videantur exoleuiſſe, cùm, qui ea ſenſerunt, & probarunt, finito Magiſtratu, nullam ampliùs habeant auctoritatem vel gratias referendi, vel pari rependẽdi beneficio; tum quia nouiſſimi, qui in Magiſtratu ſunt, videantur acceptarum gratiarum pondus non percepiſſe, cùm illæ, ipſis adminiſtrantibus, ad Rempublicam non peruenerint; quare, vel beneficij ſciens nouus Magiſtratus non eſt, vel ſi beneficia adeò ampla

ſint

sint, vt latere nequeāt, in publica omniū confessione inueniatur nemo, qui exoluat: itaque de acceptis loquantur gratijs, ac si nullus debitum contraxisset.

Qui tamen obtentus nullo modo suffragari Batauis potest; nam si omnia merita Galliarum Regum in Batauiam singillatim recensere vellem, librum narrando conficerem: quia, præterquam quòd adeò magnifica fuerunt, vt nullus non modò Batauus, sed neque Europæus excusare imprudentiam posset, ab exordio istius Reipublicę vsque ad id temporis exsiccata nunquam fuit scaturigo; in singulos quippe annos, adnumeratis pensionibus, & supp editato milite, vnusquisque Magistratus suam beneficiorū partem recepit.

Gallia ad pacem propensa suos ablegauerat Monasterium Nuncios, qui iunctim omnia, separatim nihil cum Hollandorum Nuncijs producerēt: quod si Batauī idem præstitissent, vtraque dissidia determinata essent; nam Hispani, nisi ducti fuissent spe transigendi cū Hollandis seorsim, etiam Gallis satisfeciſſent, & omnes bellorum radices euulsę essent. Sed æstimantes Hollandi, se vberiorē pacem consecuturos esse, si Gallorum Regem pupillum, plusquam ipsos egentē pacis, in agone destituissent (quod vnicè auebant Hispani) ex istorum genio separatim conserunt tractatus, & ad calcem perducunt

cunt: ita vt ex fœdere cum Gallis infracto ne pacem quidem acquirere, quæ illis ſupremorum Principum nomen vindicauit (ſic loquente Hiſpano Rege, & iura ampliſſima Prouinciarum in eos transferente) ſed Hiſpanorum gratiam tam grandi beneficio in eos collato conſciſcere exoptarint.

Tunc ſatis conſtanter ferebatur Hollandorum Nuncios ab Hiſpanis emptos, communi causâ diſtractâ, Gallis omiſſis, ſuas duntaxat rationes produxiſſe. Hiſpani [qui quorundam Gallorum animos ſeditionum deſiderio æſtuãtes iam cognouerant] exploratam Batauorum voluntatem liberaliùs, & citiùs impleuerunt, vt fortiori quirent bello Gallos premere, & cõmodiùs ad res miſcendas paratis aſſidere. Hęc enim promulgata Batauorũ cum Hiſpanis pax bello Galliarũ ciuili erumpere non valenti oſtium protinus recluſit.

Cap. XIX.

Ducis Mutinæ, & Principis Thomæ incursiones in Mediolanensem Statum . Leridæ frustrà à Condæo tentata.

1647.

MEDIOLANENSIS Ducatus Gallorũ armis vndique circundatus, post multos terrores nullũ maius malum, quàm erosionẽ fimbrię passus est . Dux Mutinæ militem in suis ditionibus, & in Italiâ centuriauit : Gallica etiam excepit subsidia, quę per sinum Spediæ (non detrectantibus transitum Genuensibus) transmittebantur . Idcircò coactis nouem millibus militum, Padum ponte iunxit, & excubatoribus aduersę ripę in fugam coniectis, in Cremonensem Agrum penetrauit, cuius loca aperta succubuerunt potentiori . Verùm Cremona numeroso munita Prę sidio, licet ambitu vasta, & antiquis duntaxt operibus firmata, ab obsidione Ducem deterruit, qui leui prælio cum præsidio Vrbis conserto, periculum fecit hostilium, & suarum virium ; mox Mutinam redijt animi belligeri gesta in venturum annum reseruans .

Prin-

Princeps Thomas Exercitum, qui in Pedemonte militabat, in Nouocaſtrum, & Voghe-ram intulit, ſatis opulenta loca ad nutriendas Copias; mox, exeunte Autumno, in Pedemontem regreditur, nullo digno facinore peracto. Hi duo Exercitus, qui iuncti viginti militum millia excedentes, validam aliquam Arcem à Mediolanenſe Ducatu extorſiſſent, & in maximas illum anguſtias adduxiſſent, ſeiuncti præter militum diſſipationem nihil memorabile executi ſunt. Sic perijt occaſio rē benè gerēdi. Qui ad plura intendit, omnibus eſt imparatus.

Princeps Anguinius, qui ob parentis deceſſum Condæi Principis nomen induit, Cataloniæ Prorex à Rege dictus Prouinciam adiuit difficilem, in quam non ſecus, ac vndæ ad marinum ſcopulum, celebrium Ducum fama allidebatur. Princeps ad eam enitens gloriam, quam Arcurtius adire non potuit, Leridam ſepit pari genio, æquali fortunâ.

Ratio bellandi in Catalonia multùm diſtabat ab illa Belgij. Belgiū latiſſimâ frōte Gallię finitimū plurima exhibebat munimenta hoſtibus oppugnanda, quorum expertiſſimi Duces ſeligebant minùs munita: quapropter frequenter voti compotes fiebant. Catalonia duas duntaxat habebat Ciuitates, quibus Hiſpani timerent, Terraconam nempe, & Leridam, quibus adeò plenè prouiſum ibant, vt inde penè nihil

metu-

metuerent. Si Exercitus diutiùs ad Leridam magnâ veteranorum manu munitam hæsisset, vniuersus conficiebatur; quare Condæus ab obsidione temerè susceptâ prudentissimè recessit, nihil vlteriùs hoc anno, quàm expugnationem quorundam debilium Castellorum molitus.

Cap. XX.

Dux Bauariæ inducias pangit cum Gallis, & Sueeis, quas deinde frangit. Milander Vrangelium insectatur.

1647.

NVLLA penè erat Germaniæ Prouincia, quæ belli vexationibus nó exederetur. Boemiam, Silesiam, Morauiam, Franconiam Sueci, ac Imperiales iuxta depopulabantur. Vrangelius magnus armorum Sueticorum Præfectus vacabat obsidioni Lindauiæ, quæ difficilem admodum spondebat oppugnationem, cùm munitionibus ab arce factis, tum naturâ loci, qui ad Constantiæ lacum sedens ex ea parte omnem prohibet obsidentibus accessum, & sine magno periculo auxilia obsessæ Vrbi destinata transmittit. Quamobrem, licet Sueci Insulas in lacu sitas occupauerint, & lèbis impedi-

re

re ſubſidia conati ſint, oppugnationem ad duos menſes nequicquam produxerunt, retrahentes Exercitum malè habitum à propugnatoribus, & multò magis ab importuna hyberni aeris tempeſtate.

Interea conuentum erat inter partes, vt Vlmæ congregatio fieret ad inducias pangendas, quæ pacis prodromæ videntur; ad quam Ciuitatem confluebant Legati Suediæ, Bauariæ, Galliæ, Imperatoris. Nam, cum varij, & non intermiſſi armorum euentus turbarent pacis capita, quæ inter Nuncios ambarum partium Oſnabruci, & Monaſterij excutiebantur, æquũ viſum eſt ferias bello indicere, vt nulla nouitas intercederet pacis tractationi. Sed Imperatoris Nuncij contendebant Gallos primùm inducias petere. Galli aſſerebant hoc Imperialium munus eſſe; quare non modò iniri inducię, ſed neque conuentus augurari potuit.

Bauariæ Dux obſeruans Exercituum molem in Bauariam declinare, vt ſe, & ſubditos ab impendenti eximeret periculo, inducias cum Succis, & Gallis, neglecto Imperatore, concludit, promittens, ſe medium futurum vſque ad pacis epilogum, & interea traditurum Meningã, ac Vberlingã Succis, & Elbrunam Gallis, ab ipſis à longo tempore adamatam, Germaniæ oſtium, Alſatiæ propugnaculum. Ex aduerſo Succi, & Galli ab occupatis in Bauaria

præ-

præsidia detraherent. Hæ induciæ pepererunt Suecis Egrę firmissimi Boemiæ Munimenti intra duos menses expugnationem.

Nec minores felicitates pullulassent Galliæ, ni Vaimarrenses secessionem fecissent, abnuentes in Belgium diuertere, qui etiamsi deinmultati, & obedientiæ addicti à Turena essent, nihilominus perijt occasio rei benè gerendæ, quæ in bellis in ipso temporis articulo consistit.

Serò in Flandriam aduentantes Vaimarrenses, vix Luceburgium ingressi erant, cùm euestigiò pedem in Germaniam reducunt, illuc euocati ab improuisa deliberatione Ducis Bauarię, qui Imperatoris clamoribus concitatus, fractis ferijs, non suspecta arma in Suecos nudauerat, eos oppressurus, ni cõtinuò his subuentũ esset.

Dux Bauariæ causam nouitatis armorum retorquebat in Suecos, causatus eos à populationibus Archiepiscopatus Colonienſis ijsdem inducijs inscripti nõ temperauisse. Interea Millãder, cui obitus Galatij locum fecerat ad gradũ summi Præfecti Imperij, auctus Bauarorum Copijs, ingruit in Suecos, qui impares illi decertare non audent; sed receptu fugæ simili fluuium Albim adepti, obiectu fluminis, & Arciũ, quas in ea parte Germaniæ possidebãt, Imperialium cursum victorię coæqualem sistunt.

Iglam Morauiæ ex Suecorum recessu auxilijs destitutam Imperiales, & Meningã Bauari intra

duos menſes ſibi vindicant. Lādgrauiatus Haſſiæ euerſiones, & depopulationes grandi pecuniâ à Millandro redemit. Felicitates parùm duraturæ, quas nulla campeſtris victoria, aut inſignioris Arcis deditio vel præceſſerat, vel comitabatur.

Cap. XXI.

Sueci, & Galli Bauariam expilant. Millandrum interficiunt. Conixmarcus partem Pragæ Ciuitatem occupat. Variæ Clades hinc inde illatæ. altera Pragæ Ciuitatis pars à Cæſareis defenditur.

1648.

EXTINGVITVR Annus 1647, ſed diſſidia non pereunt, quę cū renaſcente anno alacriora reſurgūt. Ad nuncium depopulationū, quę Haſſiæ Lādgrauiatui inferebātur, Exercitus confœderati illuc iter maturant, Mareſcallus Turena, Vrangelius, Conixmarcus ſuas manus in vnum congregant; deinde in Franconiā pergunt ad turbāda hyberna, quę in ea Prouincia Imperiales ſibi optauerant: & hinc ad Bauariam collineabant, in eum Ducē ſupra antiquas ſimultates recenti ruptarum inducıarum inuidiâ flagrantes. Dux Bauariæ, ſti-

ſtimulante conſcientiâ, hoſtium conſilia è longinquo ſpeculatus, ſibi non defuerat; multo auro profuſo veteres legiones impleuerat, & nouas authorauerat. Habebat etiã propinquũ, & paratum ſubſidium Imperialium in Francoñia hybernantium, qui, qua parte veniebat hoſtis, Bauariam tegebant.

Galli, & Sueci iſtius Ducis prouiſionibus impenſiùs vellicati, ſummotis è Franconia Imperialibus, inibique, & in ſuperiore Palatinatu aliquibus Caſtellis ſubactis, tranſito Danubio, in Bauariam penetrant. Ibi, cum in illa armorũ efferueſcentiâ Exercitus hinc inde diſcurrerẽt, accidit, vt frons Suecorum in tergum Imperialium inciderit, eodem Millandro poſtremum agmen ducente. Extemplò horribili conſerto prælio ad multas horas cum partium deſtinatione, tandem Millander ipſe cecidit; & Imperiales grauiter concuſſi receptui conſulunt.

Secundùm hanc proſperam pugnam Sueci, & Galli Lichum Fluuium ſuperant: inuolantq; Bauariam, quam penè totam diſcerpunt, non audentibus Imperialibus iam afflictis Sueco ſe obijcere, aut pugnæ aleam ſubire. Dum Vrangelius Bauariam expilat, Conixmarcus in Boemiam deflexit: vbi per inſidias eam partem Pragæ Ciuitatis, quæ parua dicitur, & nobiliorem reliquo corpore, cõſequitur, captiuo Cardinale Arach Archiepiſcopo, Coloredo, pluſquam

ducẽtis nobilibus, ditiſſimis mercatoribus, opibuſque immenſis abactis.

Taborrum, & multa Oppida in eo diſtrictu iacentia ſatis inſtructa contra amplum Exercitum, eò magis contra manum Conixmarci, quæ vix captam tuendi Ciuitatem potens erat, leges naturę, non armorum ſecuta, expugnato Capiti non ſecus, ac membra ſe ſubmiſerunt,

A Geſſio Haſſiorum Prefecto Lamboy Copiæ cædũtur; Comes Bucoius à Vuitembergo Sueco, oppreſſis Comitibus, captiuus ducitur. Dux Vlericus Vuitẽbergus à partibus Cæſaris ab Vrangelio capitur, mille ducentum Equitibus trucidatis. Hę iacturæ Ioannem Vertum ad vltionem ſtimulauerunt, qui cum quinque equitum millibus ferociter inuectus, duas hoſtilium equitum alas ad præſidium pabulatorum deſtinatas (antequam ijs ſubueniri poſſet) obtruncat. Ex proximis Caſtris fœderatorũ equitatus, vt ſuis laborantibus auxilietur, conuolat. Conflictus ad ſeptem horas productus, cũ pari damno dirimitur: nam palmam, quam Vertus aduentans hoſtibus ſurripuerat, diſcedens eiſdem reſtituit.

Sub hoc tempus Comes Palatinus, Suecorũ Generaliſſimus in Germaniam deſcendit cum octo millibus peditum, & ſexcentis equitibus. Hic Lipſiam accedens cum vniuerſis Copijs, alteram Pragæ Ciuitatẽ adhuc Imperatori obſequẽ-

ſequentem oppugnandam ſuſcipit. Facinus videbatur nullo negotio patrandum. Attamen ab Imperialibus impulſus omnes hoſtiles propulſantur, & cum trium millium iacturâ Palatinus ab obſidione diſcedit.

Cap. XXII.

Cauſæ, quæ Suecum, Gallum, Imperatorem, & Bauarum ad pacem ſtimularunt.

1648.

DIVINA Omnipotentia omnia adeò diſpoſita fuerunt hoc anno, vt tantorum bellorum euentus, & ærumnarum ſeries in vnam pacem conſpirauerint; ita ut verum ſit à bellorum ſucceſſibus conflari pacem, adeò tamen diſpenſatis, vt temporum menſuræ, & opportunitati reſpondeant. Si res aliter cecidiſſet, certum eſt, hoc anno nondum diſſidia determinata fuiſſe. Neceſſe erat Bauariæ Ducē citò fractarum inducіarum pœnitere: Imperiales non poſſe protellare Suecos à deuaſtatione Bauarię: partem Pragæ Ciuitatis capi, aliam ab Auſtriacis propugnari: Palatinum Generaliſſimum ab oppugnatione iſtius Ciuitatis cum Copijs acciſis recedere. Dux Bauariæ ſic aſſli-

ctus apud Imperatorem ſuas calamitates acerbè deplorabat; imò occultè conuenit cum Gallis, & inter ipſos quædam pacis capita clam ſancita ſunt: vt ſcilicet Alſatia cederetur Gallis, & ſuperior Palatinatus Bauaro. Ciuitas parua Pragæ, ſi diutiùs permanſiſſet in poteſtate Suecorū, profectò maiorem Ciuitatem ad ſe traxiſſet.

Imperator ſupra omnes aculeos iſtis duobus acutiſſimè vellicabatur, ſcilicet timore amittēdi Ducē Bauarię, qui iam anno elapſo receſſerat, & metu, ne tota Pragenſis Ciuitas in Suecorum manus laberetur. Hæc integrum, opulentiſſimum, & maximum Regnum à ſua ditione diſtrahebat, cuius diſtractio emaſculabat Imperij vires, & reliquas Prouincias in conſenſum ducebat. Bauariæ Dux ad eam diem manutenuerat decus Imperij, cum quo recedebat ſpes reliquias exhauſtę dominationis conſeruandi. Hęc duo erant irreuocabilia mala, quę nec ipſius potentia, nec Hiſpanorum ars anteuenire poterat. Vna pax vlcera adeo depaſcētia ſanabat.

Suecorum tot victorijs gliſcentem animum aliqualiter extenuauit oppugnatio Pragę aduerſa, quam iam inter ſua facinora numerabant. Eos puduit primum attentatum Generaliſſimi adeò peruiū, vt euentui fortunę penè ſubeſſe nō duceretur, irritum, & detrimentoſum ęgidiſſe. Certò, ſi in Pragæ oppugnatione vota

ſua

sua impleuissent Sueci, nouos gradus ad pacis consecutionem addidissent. Propterea, dum illinc vrgerentur ab officijs Galliarum Reginæ in hanc pacem penitùs conuersæ, & hinc vim fortunæ reputarent, suarum petitionum rigores castigauerunt; ita vt ex tot fluctibus, & inuolucris bellorum, quasi ex Christiani sanguinis effusione hominum consilia fœcundantis germinauerit pax, quæ inter Gallos, Suecos, & Imperiales Osnabrugi, & Monasterij irrogata est.

Hęc pax duos potẽtissimos Reges in Germania defigens, absoluit omnes Principes, & liberas Ciuitates à metu potentiæ, & auctoritatis Austriacorũ: cum vtrinque ad latera Germaniæ cernerent perfugium, vnde auxilium traherent aduersùs opprimentes. Tanta fuit necessitas hanc pacem concludendi ex parte Imperatoris, vt (prętercquã quòd cessione Alsatiæ rũperetur continuatio ditionum Hispani Regis, & Imperatoris) horũ duorum Principum volũtatem etiam coactè diremerit. Imperator enim vno pacis articulo vetabatur Hispanis subuenire: ita vt Gallis copia fieret Legiones ab Imperatore exhautoratas sibi deligere; quę facultas omninò negabatur Hispanis. Ni turbæ Parisienses hanc pacem anteuenissent, ex quibus ansam ceperunt Hispani oblatam pacem refutandi, hic annus omnia Europę dissidia finiuisset

ctus apud Imperatorem ſuas calamitates acerbè deplorabat; imò occultè conuenit cum Gallis, & inter ipſos quædam pacis capita clam ſancita ſunt: vt ſcilicet Alſatia cederetur Gallis, & ſuperior Palatinatus Bauaro. Ciuitas parua Pragæ, ſi diutiùs permanſiſſet in poteſtate Suecorũ, profectò maiorem Ciuitatem ad ſe traxiſſet.

Imperator ſupra cæteros aculeos iſtis duobus acutiſſimè vellicabatur, ſcilicet timore amittẽdi Ducẽ Bauariæ, qui iam anno elapſo receſſerat, & metu, ne tota Pragenſis Ciuitas in Suecorum manus laberetur. Hæc integrum, opulentiſſimum, & maximum Regnum à ſua ditione diſtrahebat, cuius diſtractio emaſculabat Imperij vires, & reliquas Prouincias in conſenſum ducebat. Bauariæ Dux ad eam diem manutenuerat decus Imperij, cum quo recedebat ſpes reliquias exhauſtæ dominationis conſeruandi. Hæc duo erant irreuocabilia mala, quæ nec ipſius potentia, nec Hiſpanorum ars anteuenire poterat. Vna pax vlcera adeo depaſcẽtia ſanabat.

Suecorum tot victorijs gliſcentem animum aliqualiter extenuauit oppugnatio Pragæ aduerſa, quam iam inter ſua facinora numerabant. Eos puduit primium attentatum Generaliſſimi adeò peruiũ, vt euentui fortunæ penè ſubeſſe nõ duceretur, irritum, & detrimentoſum cecidiſſe. Certò, ſi in Pragæ oppugnatione vota

ſua

sua impleuissent Sueci, nouos gradus ad pacis consecutionem addidissent. Propterea, dum illinc vrgerentur ab officijs Galliarum Reginę in hanc pacem penitùs conuersæ, & hinc vim fortunę reputarent, suarum petitionum rigores castigauerunt; ita vt ex tot fluctibus, & inuolucris bellorum, quasi ex Christiani sanguinis effusione hominum consilia fœcundantis germinauerit pax, quæ inter Gallos, Suecos, & Imperiales Osnabrugi, & Monasterij irrogata est.

Hęc pax duos potētissimos Reges in Germania defigens, absoluit omnes Principes, & liberas Ciuitates à metu potentiæ, & auctoritatis Austriacorū: cum vtrinque ad latera Germanię cernerent perfugium, vnde auxilium traherent aduersùs opprimentes. Tanta fuit necessitas hanc pacem concludendi ex parte Imperatoris, vt (prętęrquā quòd cessione Alsatiæ rūperetur continuatio ditionum Hispani Regis, & Imperatoris) horū duorum Principum volūtatem etiam coactè diremerit. Imperator enim vno pacis articulo vetabatur Hispanis subuenire: ita vt Gallis copia fieret Legiones ab Imperatore exhautoratas sibi deligere; quę facultas omninò negabatur Hispanis. Ni turbæ Parisienses hanc pacem antetueniissent, ex quibus ansam ceperunt Hispani oblatam pacem refutandi, hic annus omnia Europę dissidia finiuisset

uiſſet. Nam ex Germania potuiſſent Galli amplisſimum habere veteranorum militũ delectũ, qui vel Belgium ſuffocaſſet, vel ab expirantibus Prouincijs pacem eduxiſſet.

Ampla, & ferax Alſatiæ Prouincia ad priſtinum florem redacta, non leue vectigalium auctarium Galliarum Regi pollicebatur. Hęc Lotharingiam arctiſſimo vinciebat compede, vt vel Duci reſtituta intra fauces Regiæ ditionis ſtaret. Rheni poſſeſſionem, quam poſt Briſacum Argentorati interiectio videtur adimere, Philippiburgum reſtituit. Hoc Caſtrum in primis Palatinum, deinde omnes Rheni Principes frenat: amicis ſubſidio: hoſtibus terrori eſt. Alſatiæ acquiſitio clarũ fecit Regẽ Gallię apud Germanos. Aliàs lucebat è longinquo; nunc adeò proximos vibrat radios, vt oculos, menteſque deuinciat, in primis Ducis Bauariæ, Heluetiorum, Ducis Vuitembergi, Franconię, Sueuię, nec non ipſius Domus Auſtriacę.

Suecis attributa ſunt Pomerania, Bremenſis Archiepiſcopatus, Epiſcopatus Verdenſis, Ciuitas Vuiſmariæ, & facultas extrahendi quingẽtas Myriades Thalerorum à locis occupatis, à quibus vigore pacis obſtringebãtur faceſſere.

Gallis in perpetuum tradita eſt Alſatię poſſeſſio cum Oppido Briſaci, nec non facultas præſidij conſtituendi in Oppido Philippiburgi.

Nullus fœderatorũ ab hac pace reclamauit: quod

quod signum est perfectæ digestionis, & exquisitæ charitatis potentiorum erga debiliores. Rex Galliæ fœderatorum commoda suis antehabuit : Landgrauię Hassię, Archiepiscopi Treuerensis, Palatini Rheni, Suecorum, & cęterorum Principum amicorum satisfactiones apud Nuncios Galliarum potiores illis sui Regis fuerunt. Certò inter tot gentes & genio, & Cœlo, & pręliandi causis diuersos mirũ fuit omnium conspiratione, & flagranti desiderio, & quod caput est, nullius querelis; aut detrimẽto pacem coaluisse.

Cap. XXIII.

Infelix Cremonæ Obsidio

1648.

DVX Mutinæ, anno peracto, non modò interminatus erat Cremonę, sed in recessu Casale maius in Solo Cremonensi sitũ retinuerat, Gallicâmanu in hybernis inibi locatâ, vt illi in annum pręsentem faciliorem reditum faceret. Quamobrem, cum Hispani certâ coniecturâ timerent Cremonę, adnixi sunt, vt eiusdem Casalis recuperatione Ducem excluderent : quem conatum diligentia Ducis, Oppi-

do

do ſufficiens auxilia, fruſtrauit. Caraſſenæ Marchio, nouus Mediolanēſis Gubernator inſiſtens cōſilio Ducem à Cremonæ finibus arcendi, iuſſit aggerem ſtrui ab ipſius Cremonæ foſſâ vſque ad Rebechum prope flumen Oliū in finibus Brixiæ: opus ad duodecim millia paſſuū extenſū; qui agger ob enormē longitudinem facilius à paucis Copijs ſuperari, quàm à multis defendi poterat. Dux cum leui ſui Exercitus detrimēto, & graui Hiſpanarum Legionum clade aggerē, foſſamq; tranſgreditur tantâ hoſtium conſternatione, vt inerebuerit fama, ſi rectà Cremonam properauiſſet, capi Vrbem in illo tumultu, vel pauca ſanguinis effuſione, potuiſſe: ſed, dum deliberat, an inuadenda Cremona ſit, vel vltra Abduam flumen tranſmittendus Exercitus (qui fluuius ſæpē tentatus, modò aquarum auctu, modò Hiſpanorum ſolicitudine, & armorum obiectu Gallis tranſitum non dedit) teritur tempus: Cremona ſpiritus reſumit: Hiſpanis animi creſcunt ob tranſitum fluminis impeditum: aduentu etiam nouarum Copiarum, ſubitariorum militum, nec non multæ nobilitatis, robur intenditur; ardor res ſuas tuendi in omnium pectoribus reuiuiſcit.

Dux Abduę tranſitu fruſtratus, Cremonam obſidere conſtituit, & circa eam militem collocat; quæ Ciuitas ita obſeſſa erat, vt ſingulis diebus ex Territorio Placentiæ, Padi beneficio com-

commeatus, ac ſubſidia militum reciperet, vetante nullo; & inſtrumenta, quæ deinde adhibita ſunt ad intercipiendum tranſitum (vt catena quædam ferrea prelonga) difficiliorem quidem eum præſtabant, nequaquam obſtruebant.

Obſidio protracta eſt ad menſem Octobris, conſumptis Copijs, & multis egregijs Ducibus interfectis, inter quos Marchioni Villę, qui à Pedemonte illuc cũ ſuo Exercitu migrauerat, bombardæ globus crus contundens, inſigni viro vitam inter tot bella ad ſenium gloriosè perductam ademit. Obſidio inauſpicata, & inconſulta, coniuncta pertinaci ſpei, & effrẽni deſiderio occupandi Vrbem quotidianis obfirmatam auxilijs, helluata eſt Exercitum floridiſſimum iniquo admodum tempore, quo Gallia illis Copijs vel ad ſui conſeruationem egebat. Dux Mutinam repetijt. Exercitus reliquię per Genuenſem tractum in Pedemontem regreſſæ ſunt. Arduũ iter, quòd vigoris, & hominibus, & equis ſupererat, obliguriuit. Fatalè erat hunc Exercitum omninò conficì. Quam partem hoſtes non peremerunt, iter vel abſumpſit, vel eneruauit.

Iperam

Cap. XXIV.

Iperam subigit Condæus. Curtræam recipit Leopoldus. Pugna Lentiana. Gesta in Catalonia.

1648.

IN Belgio meliori fortunâ, sed alternante Marte certabatur. Princeps Condæus triginta millibus hominum Iperam, insignem Vrbem hostiliter coronauit. Vrbs ambitu vasta, populosa, profluētibus vndique aquis irrigata, non minorem manum ad sui oppugnationem deposcebat. Princeps, vt Exercitum, quo maiori fieri poterat Copiarum auctario, constabiliret, cùm aduersùs Vrbis præsidium; tum aduersùs Exercitum Archiducis Leopoldi, qui se disponebat ad opitulandum obsessis, mille quingentos milites è Curtræa ad hanc expugnationem accersiuit.

Archidux, omissâ pugnæ aleâ, quæ pro se admodum dubia videbatur, ad Curtræam respicit, quæ diminuto præsidio, & operibus adhuc infirma (Citadellæ enim, quę struebātur, munitiones adhuc humiles erant) faciliorem spondebat exitum. Ideò sub meridiē, scalis mœnibus

ap-

applicitis, præsentiâ militem ad conscendendũ inflammat: tantoque feruore aggressio inita est, vt intra paucas horas Hispanus in Vrbem permanarit, præsidiario milite ad internecionem deleto. Mox Iperam contendit, satis tamen ducens hostis faciem speculari, & Vrbis deditionem æquo animo expectare, cuius detrimentum Curtræę recuperatio sarserat.

Princeps, Iperâ captâ, tam insigni victoriâ elatus, vt hosti Curtræę cladis vicem redderet, molitus est inopinatâ aggressione Neoportum opprimere: sed improspero exitu, & deperditione multorum militum, facinoris cum pœnituit.

Archidux grandiores machinas adornabat: Peronam scilicet, munitissimam Picardiæ Vrbem sibi vindicare, à qua spe adeò altè concidit, vt à Castelleto, proximo Peronæ Oppidulo reiectus quoque sit. Cùm igitur in his partibus destinata malignè procederent, rursus Flandrię Exercitu inducto, Etherçam, & Furnum lucrifacit. Condæo vnitur Herlacus, qui è Germaniâ cum benè multa manu venerat. Tunc à Gallo recipitur Etheræa: ab Hispano Lentium.

Hæc exigua facinora ad grande aliquod opus prçludebant, nimirum ad pugnam, ad quam vtręque partes prçsumentes, sibi victoriam aspirabant. In artis Lentianis concurritur: Princeps Condæus, Marescalcus Gramuntius, Herlacus, cæterique Duces nihil reliquum ad

ostẽ-

oſtentationem virtutis fecerunt ; Archiducis Equitatus in fugam verſus , quà cuiq; proximũ erat, diſiluit . Peditatus equitatu nudatus ferè totus capitur cũ Præfecto Bechio , qui vulneribus confoſſus dein moritur . Galli ſexcentos fortiſſimos viros deſiderarunt . Ex hoſtibus duo millia interfecta , & ſex millia captiuorum recenſa ſunt : inter quos quingenti Duces, triginta octo tormenta , centum viginti ſigna militaria , opulenta ſpolia victoriam nobilitauerunt , quam vnius Lentij , & Furni acquiſitio poſt tantam expectationẽ non parum eleuauit .

In Catalonia nunquam bellum geſtum eſt præ tenuitate Copiarum maiori victoriâ . Cum modico Exercitu ea obuenerat Prouincia Mareſcalco Scombergo . Nullus penè rumor inde percipiebatur , cùm nihil ab Hiſpanis moueretur , & Galli illo apparatu deſtituti , qui ab inſignioribus operationibus expetebatur , viderentur quieturi ; ita vt omnia claſſica cum Arcurtio , & Condæo ceciniſſent ; cùm repentè Scombergus Tortoſam inuadit , poſtremam huius Prouinciæ Ciuitatẽ, quà Iberum aſſequitur . Hiſpani Flixium cingunt , cui Scombergus ſubuenit & in Tortoſam intrepidâ aggreſſione deſcendit , trucidatis præſidiarijs militibus, his exceptis , qui effugium ad Cittadellam habuerunt, quæ extemplò dedita eſt . Reliquũ Æſtatis in obſeruandis Hiſpanis , qui Exercitũ

ſuum

ſuũ auxerãt, & corũ deſtinatis auertẽdis extractum eſt. Multoties fortuna deſtituit operationes militares, quas ampli moliuntur Exercitus, & tenuibus Copijs indulget egregia facinora; quia magis hìc, quàm illic ſuam exerit potentiã, quæ tunc ſe venditat, cum eò peruentum eſt, quò iudicabatur humanas vires non euaſuras.

Cap. XXV.

Seditio Panormitana: Cauſæ, & Exitus.

1648.

ANNVS 1647 tumultibus popularibus ferax longam calamitoſorum euentuum ſeriem traduxit, quos præſens annus 1648 definit. Itaque illos hìc paucis exarabimus contenti ſeditionum capita tetigiſſe. Ciuitas Panormi, Siciliæ primaria in Miniſtros, & Ciuiles, & Regios exarſit. Motuum cauſæ duæ aſſignantur; Vniuerſalis vna, quã intemperies aeris inuexit. Annus ſiccus humana corpora bilioſo humore compleuerat: inde facilè incaleſcebant, & in iram prona bellorum materiam inueſtigabant. Altera cauſa, & propior fuit annonæ caritas, quam eadem anni ariditas induxerat, ob ſegetes humoris defectu tabefac-

tas

oſtentationem virtutis fecerunt ; Archiducis Equitatus in fugam verſus , quà cuiq; proximũ erat, diſiluit . Peditatus equitatu nudatus ferè totus capitur cũ Præfecto Bechio , qui vulneribus confoſſus dein moritur . Galli ſexcentos fortiſſimos viros deſiderarunt . Ex hoſtibus duo millia interfecta , & ſex millia captiuorum recenſa ſunt : inter quos quingenti Duces, triginta octo tormenta , centum viginti ſigna militaria , opulenta ſpolia victoriam nobilitauerunt , quam vnius Lentij , & Furni acquiſitio poſt tantam expectationẽ non parum eleuauit .

In Catalonia nunquam bellum geſtum eſt præ tenuitate Copiarum maiori victoriâ . Cum modico Exercitu ea obuenerat Prouincia Mareſcalco Scombergo . Nullus penè rumor inde percipiebatur , cùm nihil ab Hiſpanis moueretur , & Galli illo apparatu deſtituti , qui ab inſignioribus operationibus expetebatur , viderentur quieturi ; ita vt omnia claſſica cum Arcurtio , & Condæo ceciniſſent ; cùm repentè Scombergus Tortoſam inuadit , poſtremam huius Prouinciæ Ciuitatẽ, quà Iberum aſſequitur. Hiſpani Flixium cingunt , cui Scombergus ſubuenit, & in Tortoſam intrepidâ aggreſſione deſcendit , trucidatis præſidiarijs militibus, his exceptis , qui effugium ad Cittadellam habuerunt, quæ extemplò dedita eſt . Reliquũ Æſtatis in obſeruandis Hiſpanis , qui Exercitũ

ſuum

ſuũ auxerãt, & corũ deſtinatis auertẽdis extractum eſt. Multoties fortuna deſtituit operationes militares, quas ampli moliuntur Exercitus, & tenuibus Copijs indulget egregia facinora; quia magis hìc, quàm illic ſuam exerit potentiã, quæ tunc ſe venditat, cum eò peruentum eſt, quò iudicabatur humanas vires non euaſuras.

Cap. XXV.

Seditio Panormitana; Cauſæ, & Exitus.

1648.

ANNVS 1647 tumultibus popularibus ferax longam calamitoſorum euentuum ſeriem traduxit, quos præſens annus 1648 definit. Itaque illos hìc paucis exarabimus contenti ſeditionum capita tetigiſſe. Ciuitas Panormi, Siciliæ primaria in Miniſtros, & Ciuiles, & Regios exarſit. Motuum cauſæ duæ aſſignantur; Vniuerſalis vna, quã intemperies aeris inuexit. Annus ſiccus humana corpora bilioſo humore compleuerat: inde facilè incaleſcebant, & in iram prona bellorum materiam inueſtigabant. Altera cauſa, & propior fuit annonæ caritas, quam eadem anni ariditas induxerat, ob ſegetes humoris defectu tabefac-

tas

tas. Panormi annonæ Prætor rem frumentariam administrat. Iste mense Maij panem multò minoris ponderis, quàm toto anno consueuerat, confici iussit; vt sarcirentur impensæ, quas annonę Magistratus toto anno in beneficium pauperum subiuerat: vendendo panem maioris ponderis, quàm tritici pretium ferre posset. Malum præsens pręteritas gratias extinxit. Fames miseros depascebatur. Hinc in Prætorem Vniuersi consurgunt, & eodem tempore Coactores vectigalium incessunt, vt ille panem maiorem fieri curaret, & ne isti vlteriùs emungerent, & exactione vectigalium populorum substantias absorberent.

Prorex Marchio Velles exterritus multitudine tumultuantiũ, petitis etiamsi enormibus indulget: vnde, motuum causis sublatis, seditio extinguitur. At, dum in quiete populi Hispanâ seueritate decutit seditionis Capita, vt audaciorum pœnâ cęteros obedientiæ defigeret, renascuntur turbæ, non vt antea improuisę, sed cogitatæ, ideò stabiliores.

Alexium quemdã Generalem populi dicunt, cuius ductus, & auctoritas seditiosum Corpus moderaretur, si moderamina admisisset. Nam, dum Alexius latrocinia, & grassationes vetat, in petulantium odium incurrit, qui ipsum crimine affectatę dominationis cooperientes perdunt. Sublato seditionis Principe nihil amplius

plius dignum, nec ausa est plebs, nec potuit, licèt in nouos motus multoties eruperit. Demum, mortuo Prorege Vellos, Cardinalis Triuultius ad gubernationem Regni destinatus Panormum ingreditur, & omnia suo temperat arbitrio. Mulctatis Perturbatoribus, vectigalia, vel ipso supplicante populo, reficiuntur.

An seditiones bonum, vel malum portendant exitum, seditiosorum Capita exploranda sunt. Si omnes vni obtemperent Capiti, cuius auctoritas cæteris præcellat, hæc seditio multum habet soliditatis, quia specimen Monarchiæ præsefert, quæ inter omnes dominationes præstantissima, & validissima est. Si Magistratum sibi effingunt seditiosi ex illustrioribus hominibus coalitum, cuius decretis audientes sint, etiam hęc seditio plurimâ, licet minori, scatet virtute. Primum exemplum habemus in Portugallia, quę ab Hispanię Rege deficiens Ducem Bragantiæ ad Thronum euexit. Sed hoc est ferè vnicum in eo Regno; difficile enim est inuenire hominem, cui suprema ex omnium consensu deferatur auctoritas. Dux Bragantiæ ex antiquis Regibus ducebat originē: eas diuitias, illum natalium splendorem, & eos Status possidebat, vt nullus Portugallensis illi obedire detrectaret.

Secundum exemplum dedit Catalonia, cuius seditio ex campestribus hominibus, & infimâ

Plebe coorta quidem est, (quod ferè semper in omnibus contingit seditionibus, cum illi hominum sorti ob tenuiores fortunas minora pericula sint: ideò initium seditionis, quod exitiosum plerunque est, magis ad eos pertinet) sed mox seditionem omnes ordines complexi sunt; itaut(demptis aliquibus paucis, qui emolumenta à Rege Hispanię trahentes permanserunt in eiusdem fide excedentes à Principatu), quicquid roboris, aut consilij erat in Catalonia pro defectione steterit. Hinc factum est, vt istæ duę defectiones soliditatis plurimum habuerint.

At Panormitana defectio nullo vnquã egregio Duce dignata est: ex hominibus vltimæ plebis nata, cum ijsdem perijt. Nobilitas, & ciuilis populus Regias partes silentio profitebantur, qui consilio, & auctoritate præstabant; mox etiam viribus, cum plebeium Corpus in partes malè cohærentes disiluit. Nam Alexius ille Capitaneus generalis Panormitanorum Piscatorem peruersè operantem triremi affecit, ex qua causa Piscatores omnes rebellarunt ad Regem; & ille in auctoritate nutans, dum Proregem, & nobiles studet sibi demereri, à suis deseritur, & à nobilibus, quos protexerat à seditiosorum iniurijs, confoditur.

Hic miser iustitiæ studiosus, consilij, & mentis potens decreta non iniqua promulgauerat,

quę

quæ tamen omnia, vt populo ſatisfaceret, includebant vectigalium abolitionem: quod officiebat Regi ob imminutionem Ærarij, & feriebat nobiles, ac diuites, qui, accommodata olim Regi pecunia, trahebant vſuras ex vectigalibus, ex quorum ſuppreſſione res eorum familiaris anguſtabatur. Sic dum Alexius cupit populo, diminuendo vectigalia, nobilibus, prohibendo populum à rapinis, Regi, comparando illi obedientiam ſeditioſorum, gratificari, omnibus fit ingratus.

Mobiles etiam popularium mentes vti prone ſunt ad tumultus, ita faciles ad recaleſcentiam: paruo enim negotio, vel blandis verbis palpati reſidunt, vel alicuius auctoritate coercentur, vel emuntur pecunia, vel tandem recurrit otij memoria, tædetque laboris, & periculi: videntur ſibi, cum nihil poſſint amittere, alienam rem agere, niſi latrocinijs impinguentur; quibus non repreſſis, nullo ordine, nullo regimine graſſantes, ſus, deque omnia vertunt, & ſeditio non ſecus, ac nitrati pulueris flāma, in fragorem, & ſcintillas diſſoluitur.

Cap. XXVI.

Casus, qui accidit sub initium Panormitanæ Seditionis.

1648.

EXEMPLVM hoc libenter narro, vt intelligatur quàm ingenioſa, & inhumana ſit dominandi libido ad tuendum ius ſuum. Iam Panormitana feruebat ſeditio; ſed hinc inde mirâ inſtabilitate fluctuabat, vt potè quę Capite deſtituta incertò vagans, angulos potiùs Ciuitatis, quàm Ciuitatem occuparet. Nemini vſque dum delata erat imperandi auctoritas, vel non aſſentiente plebe, vel grauitate imperij audaciſſimum quenque deterrente: Plerunq; enim contingit, vt, qui tumultuantis Populi Dux incedit, funebrem pompam poſt ſe trahat. Omnibus liquebat hoc ſeditioſum corpus nullis colligatum articulis conſtaturum non eſſe; ſed breui diſſiliens in nihilum abiturum. Hęc noſcentes impudentiores, & magis temerarij (ſeptem, aut octo omninò erant, inter quos vnus vocabatur Alexiùs, Pertuſius alter) cupidi ſeditionem propagandi, Principem illi, qui dehiſcens corpus connecteret, dare ſecretò cõ-

ſti-

stituerant, & hoc solido fundamẽto molẽ cõdere.

Hi fortè, cum quadam nocte in multum vini processissent, inter se de Duce creãdo consultant: ferocibus vino mentibus adiungente vigorem. Decernũt sortiri Prouinciam: omnis quippè præcidebatur contentio, si fortunæ monitu sortes ducerentur. Hoc captato consilio, iureiurando se obstringunt, cui sors accidisset, eum pro viribus ad tumultuantium Præfecturam euehendi. Sortes in eandem fidelia, quam mero refertã exhauserant, conijciunt: ne non imperio ebrij dici possent, si illud Inde elicerent, vnde eduxerant temulentiam. Manibus in vrnam vinariam demissis, cęteris aberrantibus, Pertusius dominationis symbolum extraxit, ad cuius conspectum acquiescunt omnes, vt illum Principem dicant. Dum inuestigant modum, tempusque ad id commodũ pręstolantur, accidit maximum excitari tumultum, quòd mendaciter vulgatum esset Syndicos Ciuitatis in custodiam à Prorege datos esse. Alexius, qui præsens tumultui erat, haud prętereiens occasionem, se vltrò Ducem multitudini obtulit, ex qua nullus non libenter illi Prouinciam defert, & Populi Generalem proclamat: eueſtigiò eum vniuersi sublimem in equum tollunt, ac per Vrbẽ maximo cum plausu, & cumulatâ lætitiâ ouantem veluti Imperatorem, cõcomitantur. Multi sic destinati ipsi-

us latus ſtipant, alij præeunt, reliqui ſequuntur. Ad noui Imperatoris nutũ conſerta acies, ordinem minùs deformem, quàm in ſuperioribus motibus expertum eſſet, ſeruabat.

Inter hæc denũtiatur abſenti Pertuſio Alexiũ rerum potiri: Ille qui iam domo ad exauditum tumultum exierat, gradum præcitat, & in denſius agmen ſe inſerens ad Alexium contendit, quem amicè conſalutatũ ſubmiſſa voce monet, ne fortunæ decreto obuiàm eat, & in hac vſurpata dignitate ſuam fidem ſibi obligatam fallat: recordetur pridie actorum, & dati ſacramenti, nec velit tam deteſtabili periurio vindicem Deum in caput ſuum prouocare. Alexius, qui ſe inclinauerat, vt aurem Pertuſio loquenti præberet, ijs commotus verbis reſurgens, altè inclamat: heus commilitones, hunc ſceleſtum, & nefariumvirum, Patriæ proditorem, in vosmet perniciosa molientem actutum interficite. Illicò miſer ille confoditur. Iſtud temerarium Imperij genus nec acta informat, nec quæſtionem adhibet, nec teſtes producit, nec defenſionis tempus perſcribit; ſed inauditos plectit.

Certò Alexius nec ab imperantium ſanguine ortus erat, nec imperandi leges didicerat; inexpectatum enim hoc illi dominium occurrerat, & vix præſenti dominationi per mediam horam aſſueuerat. Quomodo igitur, cum nec principatus ſtuduiſſet legibus, nec eas percepiſſet

pisset ab ortu, nec longa dominandi assuetudine imperandi artem calluisset: eodem momento, quo Dux consalutatur, abhorret à pari? pauet fortunam? non res ipsas, sed coniecturas, sed vanum etiam timorem è medio tollere cõtendit? veterem nihili amicitiam ducit? hominem sibi notum, & quo familiariter vtebatur (cui fortuitum obuenerat Imperij suffragium, licet deinde excluſus nullis ad audendũ constaret viribus) iubet occidi? vt non æmulum modò, sed omnem æmulationis imaginẽ, quæ suo obuersaretur animo, funditùs euerteret. Ab Imperio nullam admitti societatem documentum est; aut hominum animis insitum, aut ipsi potiùs infixum dominationi, quę, statim ac prehendit mortales, illos docet nec superiorem, nec parem pati.

Cap. XXVII.

Neapolitanæ seditionis origo, & Euentus.

1648.

PANORMITANIS tumultibus affinis fuit Neapolitana seditio, magis tamen cruenta, & quæ a liquãdo inter inconstantiam popularẽ visa est aliqualem nanciſci soliditatem. Thomas Anellus piscium venditor primus

mus cócitauit plebē Neapolitanā aduersùs grauitatē vectigaliū; ideò Generalis populi dictus, paucis diebus tāta pręstitit, vt meritò breuissima fuerit violēta dominatio. A nobilib' necatur: nunquā nobilitas cū plebe conuenire potuit.

Mortuo Duce, visum est otium plebi non displicere; profectò res ad tranquillitatem spectabat; sed Hispani prępostera maturauerunt vindictam, & hostiliter inuadentes populum, cum coegerunt noudum deposita arma in illos rursus torquere, & indurare animum aduersùs pacis tractationes. Toraltum secundum Populi Generalem nuncupant, nobilem, & egregium virum in Regias partes propendentem; quare proditorij criminis insimulatus populari sententiâ capite plexus est.

Hoc extincto, tertium nobilitant Generalis nomine Ianuarium Annesium armorum Fabrū, & meliorem adornatorem Machinarum, quæ tandem in suum caput reciderunt. Cum Neapolitani satis æquâ lāce pensitātes res suas, breui temporis progressu ruituras esse certo iudicarent pręsagio, nisi Ducem aliquem armis præficerent, cuius auctoritas, & peritia dissonum illud, & malè compaginatum, quod astruebant, Reipublicæ corpus, componeret. Romam Nuncios delegant ad inuitandum Guisij Ducem Gallum, qui tunc temporis Romæ degebat. Guisius de facili exoratur ad suscipiendam causam

sam popularem, cùm præsentibus promissis; tum animo reuoluens olim maiores suos, Renatum videlicet Andegauensem (ad quem suos ille natales referebat) Neapolitano Regno imperitasse: quibus de causis sibi visum est periclitari fortunam. Neapolim petenti decernuntur publici honores: totis Neapolitanorum animis excipitur: Dux Reipublicæ vocatur.

Videbatur hac electione benè consultum esse Reipublicę. Ducem in primis strenuum, & magni nominis, auctoritatisque illi Reipublicæ corpori ęgrè cohærenti dederant, qui posset infirmas partes sanare, vel rescindere, & sanas officiosè ad obeunda munia vel suo exemplo cópellere. Extraneus, & Gallus, ideò minùs suspectus, & in vnum Reipublicæ beneficium defixus, vt honores collatos, & decus virtute benè operante amplificaret. Porrò Rex Galliarum hac electione trahebatur in partes, vt Principem subditum, & sibi gratum iuuaret ad constabiliendam fortunam, quę offerebatur.

Nec Duci Guisio poterat in præsenti tutiùs, & consultiùs prouideri. Nam si eum Regem ex abrupto dixissent, vehementer offendissent populares, qui plenis buccis iactabant libertatem, ac si nihil tot laboribus ad eum diem præstitissent, cùm, vno explosо Rege, alium asciscerent. Speciosum libertatis nomen ad stimulandam plebem, & in officio continendam potentius

tius est, quàm ad nobiles concitandos, qui, cùm ad Regem habeant paratum gressum, aucupantur honores; à quibus plebs excluditur. Ideò nobiles Regis magis cupidi, & plebs popularis Reipublicę studiosior est, in qua partem Magistratus nanciscitur.

Ab aduentu Ducis animatus populus assumptam Prouinciã strenuè conficiebat: res vnam, & viuidiorem faciem resumpserant. Nec solùm custodiebatur Ciuitas, sed armatæ manus ad proxima Castella recipienda mittebantur; eò magis, quando Dux Richelius cum Classe Gallicâ ea littora appulit, nitratumque puluerem, & alia instrumenta militaria popularibus accommodauit; perfunctusque munere à numerosiori Hispanorum Classe, nullo dato timoris indicio, se expediuit, & in Galliam redijt.

Si ista Classis eo militum, & nauium numero constitisset, vt in Neapolitanis Oris tutò meare, & remeare potuisset, emolumentum maximum, & Guisio Duci præstitisset, & Galliæ: sed prõptus reditus, & nota virium debilitas alicuius timoris confessionem prodidit. Nihilominus sulfureo puluere muniti, & spe reditus validioris Classis aliti Neapolitani Hispanorum molitiones despiciebant: susceptis deliberationibus, toto aderant animo nihil ambigui de felicissimo decretorum euentu, si res ad promptum spectasset exitum: sed dum protrahitur, pars incipiunt ti-

timore pestringi, alios excubiarum tædet, multos rei familiaris torquet dissipatio; sed præ cæteris Ianuarius Annesius, qui centum mille nũmos cumulauerat, modum inuestigabat, quo opulento peculio quietus frueretur.

Guisius à principio suæ administrationis satis præuiderat parum firmitudinis in populariũ animis esse, qui aduersis territati, illicò succumbunt; & prosperis fortunæ ventis abutentes ad voluntarium offendunt naufragium. Quare nobilitatem beneficijs, & promissis deuincire, & suę fortunę comitem facere exoptabat. Sed nobiles, quibus multum aduersa fortuna surripiebat, insuper odio in plebem infensi, noluerunt res suas integras cum fractis populi miscere, nec vitam, & diuitias in deliberationibus inconstantis turbæ collocare. Nam sicut paupertas, quę tuta ab infortunijs est, facilè turbam popularem inuitat ad turbas; ita eadem paupertas, cum nihil possit perdere, clientes suos facilè sedat, si seditiones inutiles sint; si verò frugiferæ (vt Ianuario fuerunt Annesio) ij post latrocinia satietate capiuntur, & prædam cupiunt in portum conuehere. Fines enim popularium modici, humiles, & auari sunt.

Fuit tumultus iste merè popularis: contra se habebat Arces, Regia arma, Nobilitatem: pro se multitudinem populi, quorum pars animum

con-

conuertebat ad prædas: pars furore hostilitatis ducta non procurabat causam suam, sed præcipitabat; multis placebat quies, qui insolenti multitudine compulsi ita prosequebantur bellum, vt adorarent pacem. Multus strepitus, parua spes.

Ianuarius Annesius, & prȩcipui seditionis Principes transfigunt cũ Hispanis: munitiones, & animos illis aperiunt: Guisium Ducẽ, & semetipsos produnt. Guisius captiuus ducitur; ipsi laqueo vitam finiunt. Nec fuit ista deliberatio inconsulta: consultissima fuit, & versuta. Ducem Guisium hortantur, vt ad Stabias conquirendas discedat; mox, ipso absente, vniuersi scHispanis permittunt; nec in tanta conspiratione inuentus est aliquis, qui ingredientibus munitiones se opposuerit, aut hostilia interminatus sit. Eadem hora habuit vniuersos in Hispanũ hostiliter furentes, & sedatos amicosque.

Ex-

Cap. XXVIII.

Expeditio Principis Thomæ Neapolim versùs.

1648.

GALLI post reconciliationem Neapolitanorum cum Hispanis animũ in Neapolitanorum turbas intensiùs conijciunt; sed euanuerat occasio. Verùm, etiamsi spes cassa appareret, tam acres fuerunt preces exulũ Neapolitanorum, & tanta promissorum coaceruatio, vt Classem ampliorem præteritâ Thomę Principi traderent, ipsum hac expeditione Neapolitanâ onerantes. Princeps Thomas summopere rebus Gallicis cupiebat: quadam etiam facilitate, quę ex animo benè propenso in Regis seruitutem erumpebat, ductus, desperandum facinus non recusauit. Neapolim nauigat, vbi iam pacata erant omnia, suppressi tumultus, & ex tumultuantibus audaciſſimi occubuerant: nonnulli pacẽ voluntariè, omnes timidiſſimè colebant.

Hispani vigilantiſſimi, præteritis ruinis edocti ex suspicionis altiſſima specula leuiſſimas auras captabant, & antequam in ventum erumperent, supprimebant. Imò hic nouus Gallicorum ar-

morum

morum motus bellissimam illis ansam suppeditauit conuellendi præteritæ seditionis radices, verentes, ne rursus pullularent.

Intimulatur Ianuarius Annesius litteras ab hostibus recepisse, & nouare aliquid velle, qui, obtruncato capite, de medio tollitur: & opulentissima præda, quam ipse seditionis tempore iniustè parauerat, iustè publicatur. Princeps Thomas Oram Neapolitanam adeptus, cùm nullum tumultum à popularibus perciperet, propè Salernum excensionem facit, frustrà opperiens exulum subsidia: Neapoli quidē manus illuc defluxit, quæ eum coegit Copias in Naues reducere, & re inauratâ Prouinciam repetere.

Finis Primi Libri.

VARII

VARII EVROPAE EVENTVS COMPENDIARIE DESCRIPTI.

LIBER SECVNDVS.

Cap. I.

Quo in ſtatu res Galliarum tunc eſſent, cùm turbæ Pariſienſes exortæ ſunt. Cauſæ vniuerſales turbarum.

1648.

AD id temporis Galliarum Regina ſexennium adminiſtrationis, felicitate rarò in tutelis obſeruatâ, peregerat. Videbat ſenſim pueritiâ Regis increſcere, & ad corporis menſuram multò maiora animum incrementa ſumere: hoſtem potentiſſimum, vniuerſam nempè Domum Auſtriacam obrui, & eò aſcendiſſe bellorum proſperitates, vt poſſet debellari; ſi in illo armorum tenore aliquandiù perſta-

retur

retur; vel quando displiceret bellum, in quo illa non nisi necessario impulsu perseuerabat, iam pacem manu teneri: Imperatorem ab Hispanis vi adeptæ pacis distractum; quo tempore tantę armorum clades eos vrgebant, vt pacem procul dubio bello compendiosiorem ducturi essent.

At dum extendebat manum, vt fructus laboribus improbis partos, & adnitente virtute maturatos corriperet, ecce aduersus fortunæ ictus eam à meta longè iubet recedere. Turbæ Parisienses insurgunt, tot, ac tam diuersis conflatę capitibus, vt verè Lernæam Hydram æmularentur: cuius vno capite reciso septem subindè renascebantur. Nam cùm Regina arbitraretur adeò horrendum monstrum se in cunis effocauisse (nullum enim omiserat prędidiũ, quod orientium motuum causam, vel altissimè defixam, auerruncare posset) ex improuiso mali seges latissimè germinabat, & cum aliquantulũ virus suum occuluisset, de repente elatum verticem ad deprimendas Monarchiæ leges proferèbat; ita vt seditio Parisiensis vires sibi ex medicina facere videretur.

Attamen, si ad æquam mentis lancem seditiosos hos insultus, & Reginæ Regisque operationes reuocauerimus, inueniemus Regem, & Reginam plus laboriosis temporibus, quæ succedunt, quàm felicioribus elapsis debere.

Etenim

Etenim in istis nitor quidam purgatissimæ mē-tis elucet: illa animi firmitudinem probant. Si idem tenor felicitatis vsque ad finem suæ procurationis concomitatus Reginam esset, testabatur benignitatem fortunæ, quam optimi mores; & opportuna administrantis consilia benè dispensabant. Duriora verò tempora virtutem profundissimè collectam exeruerunt. Ista etiam decennem Regis ætatem à puerilibus iocis euocarunt ad seria: pro crepundijs interesse consilijs: arduas propositiones concoquere: deliberationes proferre: eas in malitiosos ingerere, vt ex Regio quamuis infantili ore prolatæ potentiùs vel ferirent, vel terrerent, vel obedientiam pararent.

Necessum habuit Regina hunc Puerum Regem per illam temporum iniquitatem vrgentioribus, & difficilioribus negotijs adhibere: modò præsentiam ipsius, & vocem Principibus obijcere: modò Parlamentarijs: modò Populo: modò militibus ostentare, quos castigaret; quos leniret, quos exprobraret, quos ad benè operandum incenderet. Et cùm primùm potuit lacteas manus ensi admouere, ad Exercitū ducere, & armorū Cōsilijs, vel facinoribus immiscere. Ipse genio quodam ætatem excedenti Regias quidem partes adimplebat; sed in hac operandi necessitate positus, animum, mētemq; supra ætatis vigorē confirmabat. Lon-

gâ operandi assuetudine tandem consecutus, vt in immaturis annis virtutes matureſcerent. Ideò, cùm alij molles, delicati, fluxique voluptatibus parent, iſte omnium Europę oculos in ſe conuertit admirantis, quo mentis lumine, quæ brachij fortitudine ſuæ dominationis clauũ teneat, & moderetur.

Antequam in hunc vaſtiſſimum ſeditionis ſinum immigremus, ſatius erit loci naturam explorare, & in mores illorum temporum, qui tantam procellam exciuerant, introſpicere, Gallos naturâ profuſos eſſe ſatis in propatulo eſt. Nobilitas veſtium elegantiæ, & conuiuiorum ſumptuoſitati auidiſſimè indulget: nec limitat ſeruorum numerum, nec ſupellectili modum facit. Ad nobilitatis æmulationem ſuos quoque mores Ciuilis Populus informat. Antiquis temporibus, licet iſta excederent, in ipſo tamen exceſſu certos terminos inueniebant. Sed, poſtquam præſentia exorta ſunt bella, iam nullum litus hoc procelloſum pelagus compeſcebat. Luxuriabant non minùs Exercitus, quàm Ciuitates: erat Centurionum ſupellex opulentior illâ veterum Imperatorum: luxus Principum, & Populorum animos inuaſerat. Licet Rex mortuus, & Regina opes in eos, qui ſeruiebant, profunderent; ipſa tamen munificentia paucos præſtabat diuites, dum omnes egenos faciebat luxus. Nullus exſatiatus: Cũ-

& auidi, nec rapinis, nec petitionibus metam statuebant. Quomodo enim vnus Rex tot Myriadum auiditatem implebit, si pauci, quantum ipse dare potest, concupiscunt?

Causa effrenati luxus plerunque adscribebatur Coactoribus talearum, Quęstoribus, & ijs, qui Regiam legendi, vel administrandi pecuniã facultatem habebant. Nam, cùm per temporum sæuitiem extenuatum Ærarium nõ permitteret Regi hos excutere, tot cumulauerant diuitias, vt ex abundantia in luxum erumperent, fouerentque hunc pestilentem Ciuitatum morbum, qui ex paucis enascens inficit vniuersos, statimque diffunditur in Gallorum animos huic infirmitati vel sine exemplo procliues. LVDOVICI XIIII. prędentis Regis prudentia huic torrenti, qui periclitabatur Galliam submergere, anteiuit. Qua industriâ: Qua felicitate aliàs exarabimus: iste locus tantę narrationis non est.

Vbi luxus dominatur, parùm Regia valet Auctoritas. Qui gratiam apud Principem, vel munificum meruerunt, nunquam saturi sunt. Qui nullâ dignãtur liberalitate, ære alieno pressi, necessitate adacti prędentem rerum statum cupiunt euertere. Potentiùs, quàm viros, luxus fœminas exercet, quæ Parisijs plurimum sibi arrogant auctoritatis, & se Aulæ negotijs immiscent, & rationes Status dum affectant cognoscere, turbant: hominesq; illos indura-

tos bello in ſuam ſententiam molliter trahunt.

HENRICVS IIII. , cui innoteſcebat natura Gallorum, eos quantum poterat arcebat à luxu : ſuadebatque Nobilitati, ne immodicis Aulæ ſumptibus ſe ſubmitteret; proprioque exemplo enormes caſtigabat impenſas : nec permiſit, vt Quæſtores, Theſaurarij, Officiales tantùm diteſcerent, vt luxum promouerent, qui ex infimis hominibus, quibus omnes pares eſſe volunt, gliſcens infinitos æmulatores offendit.

Idem HENRICVS vnicam dignitatem vni aſſignabat, ex cuius redditibus honorficè, ſed procul à luxu viueret. Quæ moderatio Principis elargientis ad ſatisfaciendum omnibus, & reprimendum luxum opportuniſſima eſt. At Regina adminiſtrationi ſucceſſit, quo tempore iam hæc mala, viuente Marito, irrepſerant, quæ ipſa à bello ſolicitata, non modò non valebat ſupprimere, ſed nec prohibere, quòd in dies non adoleſcerent.

Secundum malum Gallias affligens erant vectigalia, & grauamina, quę, cogente bellorum ſerie, immenſùm aucta erant: nec moleſtiam eorum minuebat conſiderare nullam Galliæ partem populationibus ſubijci, cùm promotis limitibus bellum in alienas Regiones tranſlatum eſſet. Nam populi non extendunt cogitationes ſuas ad vexationes, quæ poſſent impendere, ſed dun-

duntaxat præsentes calamitates deplorant.

Multi porrò ex Aulicis, & Regis consanguineis, quòd à principio tutelaris administrationis certò ducerent impetrare ea, quæ mox in confirmata dominatione non consequebantur, seditionum cupidi, modum vnita distrahendi indagabant; sperantes, quod in claro nequibant, expiscari in turbido posse.

Hæc omnia acuratè pōderāti incentiua erant ad seditionem moliendam. Populus ad motus procliuis, vt onera deponeret: minùs grauati à turbis non dissentiebant, vel nouarum rerum cupiditate, vel amicorum precibus compulsi, vel, vt multitudini astipularentur, vel ingenio parùm firmo, vel præsentis status inuidia, vel demùm inuitati compendio: manus Clientum, & seditiones aucupantium paratę, eorum nimirum, qui dignationibus, & re familiari modici, conuersionem fortunę in rerum conuersione quærebant. Rex pupillus iniurias ægrè vlciscì poterat: Reginæ maiestatem fæmineus sexus infirmabat. Dux Aurelianensis facilis: Princeps Condæus, Contius, & reliqui Proceres Prouinciæ, ac dominationis cupidi: Cardinalis Mazarinus extraneus, obtentibus idcircò obnoxius, ampliſſimam commentitiorum criminum materiam, vel in ipsa innocentia suggerebat.

Tum mihi videbatur Parisiorum facies planè

eadem cum illa Romę, quando Pompeius, Craſſus, Iulius Cęſar Rempublicam diſtrahebant. Ab occaſu ad ortum ſolis omnia domita armis patebant: nihil potentiæ Romanæ reluctabatur: domi, foriſque opes immensę: nunquam tantâ celebrium Imperatorum copia: nunqnam tantus veteranorum Exercituum numerus: diſciplinæ omnes, potiſſimùm bellica, ad culmen peruenerant; & nunquam Reſpublica tàm debilis extitit, ac imbecilla: quia membra ipſo capite penè fortiora euaſerãt: quia luxus, & ambitio omnium animos diſtrahebant: quia diuitiarum cumulandarum libido prodebat Rempublicam: quiſque plùs ſuo ſtudebat compendio, quàm Reipublicę bonum promouere.

Erat Regnum Galliæ ſub hoc tempus potentiſſimum: verùm nemo dabat legem cupiditatibus ſuis. Prodigalitas cogebat omnes ad plus deſiderandum, quàm Rex tribuere poſſet: affectabat quiſque peculiarem ſibi ſtabilire potentiam. Sed quia Reginę prudentia: Cardinalis Mazatini dexteritas: Principum obedientia reliquos obligabant officio; idcò turbę quæſitæ ſunt, quarum agitatione ſperabat vnuſquiſque ſuam ſibi temperare fortunam.

Dixeram in principio huius libri adminiſtrationem Galliæ veluti ex quatuor elementis conflatam fuiſſe; Reginâ nempè, Aurelianenſe Duce, Principe Condæo, & Cardinale Mazarino;

ſed

ſed Princeps Condęus, qui quartum erat elementum mortem obiuerat. Itaque vnio illa, quæ videbatur conſtans, & ſolida, iſtius Principis deceſſu ſoluta fuerat. Hic Princeps adoleſcens gliſcentes aluerat ſpiritus, & altiora, quàm ſubditi conditio pateretur, machinantes; ſed ſucceſſus improſperi, & carcer turbidam mentem declarauerant. Ætas quoque proiecta, valetudo parùm firma, & præcipuè boni, iuſtique obſeruantia, operandi rectitudo, quam ſibi ante mentis oculos propoſuerat, & tanquam Deitatem quandam adorabat, fidem faciunt, ſi hic Princeps longiorem vitam protraxiſſet, turbas quoque longè à Gallia ſtaturas fuiſſe. Seditioſorum quippe cupiditatibus frænum iniecciſſet, nec permiſiſſet conſanguineos amicoſq; ſuos à Reginę obedientia deſciſcere; nam tandem grauior ſeditionũ procella hinc incubuit.

Cap. II.

Cauſæ propiores turbarum.

1648.

IAM tùm ab aduentu Archiducis Leopold ad Gubernationem Flandriæ Hiſpani aliquam occultã tractationem cum Proceribus Galliæ coquebant. Ideireò Hollandiæ â Galliâ ſeparationẽ Hiſpania tanto affectauerat ardore, vt hanc remoram deliberationibus, quę ruminabantur, amoueret. Miſſio Archiducis non duntaxat fecerat animos Belgio ruenti, ſed inſtigarat Gallos de præſenti regimine malè ſentientes, ad nudandas cogitationes, quæ in Principe iam cõſilijs maturo tutò deponebãtur. Dux Boſortius[qui in principio adminiſtrationis Reginę, eò quòd ſuam partem miniſterij illi non aſſignauiſſet, Cardinali Mazarino negotijs adhibito inſidias tetenderat, ideò in Vicennis cuſtodiebatur] improuisâ, & meditatâ fugâ, nec non etiam à factioſis promotâ euaſerat.

Archidux eodem anno, relictâ Flandriâ, Picardiam intrauerat, aliquod graue facinus non ſine Galliæ Procerũ conſilio meditans. Æſtuabat Gallia, & multorum deſtinata aliquam

grauem

grauem conſpirationem ſtruebant, quæ tamen ſine auxilio Parlamenti, vel non edita fuiſſent, inſtar fulminis in ipſo coruſcationis momento euanuiſſent. Verùm accidit, vt caſus meditatam ſeditionem magno virium incremento roborauerit.

Nihil magis in hac bellorum pertinacia Reginam, & Miniſtros angebat, quàm congregatio pecuniæ. Iſta ſicuti bellorum Nutrix eſt; ità adminiſtrantium mentes in ſe occupatas habebat, eò magis, cùm anguſtæ admodum paterent rimæ, ex quibus educi pecunia poſſet. Iam tùm ab adminiſtratione Regis Ludouici vectigalia illud incrementum ſortita erant, vt non niſi populorum exclamationes exaudirentur. Reginę benignitas in pauperes flexa ſępiſſimè admonebat Miniſtros, ne illos vlteriùs exprimerent. Itaque (cùm nulla exactio pecuniæ minùs grauis ſit illa, quę in vniuerſos extenditur: quia onera in multos diſtributa agiliùs ſuſtinentur, nec non etiam illa coęqualitas conueniens iuſtitiæ eſt)

Emerius ſummus Galliarum Quæſtor excogitauit iuſtum eſſe ab ijs, qui iuſtitiam adminiſtrant in Galliâ (quorum numerus infinitus eſt, & omnes à Rege accipiunt ſtipendia, meliorę-que talearum partem ſibi diſpenſant) aliquid ad belli vſum conferri; & vt minùs ſenſibile eſſet vectigal, non conſtituit eorum crumenas exagitare

agitare, ſed duntaxat ex ijs penſitationibus, quę illis perſoluuntur à Rege, aliquid detrahere: fidens minori moleſtia pecuniam exigendã, quàm iam coactã ſubduci poſſe. Ex hoc Emerij edicto apparuit veriſſimum eſſe, quod communi fertur adagio. Iuſtitiam penès alios pulcherrimam, penès ſe turpem, foedamque omnibus videri.

Qui Parlamentum componunt, quos Galli in Conſiliarios, & Præſides diſtinguunt, ad primum nuncium penſitationis diminutę laceſſuntur, vehementerq; compulſi ſe tumultuum auctores faciunt.

In populum voces ſiniſtras ſpargunt: ſenſus Miniſtris detrahentes, multitudini gratos iaciunt: Regium obliguriri Ærarium: populorum opes in auidas paucorum manus diſtribui: minorem partem in bonum publicum diſpertiri, maiorem rapi: emungi vniuerſos, vt pauci ſaginentur. Quas res populus tributis vexatus, vel ſine alicuius ſuggeſtione ſibi fingit, & ęgrè, vel à proſperis ſucceſſibus induci poteſt, vt in diuerſam trahatur ſententiam. Quid inde? ſi iſtæ voces eos fautores, & ſeminatores offendant, qui bona publica curant, Patreſque Patriæ vulgò dicuntur? ſurdiores etiam aures ab his verbis vellicantur, quæ illicò captata demittuntur in animum nihil omninò titubantẽ, ne eadem veritas illa ſit, quæ in ipſum demiſſa

eſt,

eſt, ab Auctoribus magnæ exiſtimationis profecta, reſpondens genio, & cogitationibus illius, qui narrationem percepit. Non modò aſſentit Pariſienſis Populus Parlamentariorum querelis, ſed acriter obteſtatur, vt cauſam publicam defendere allaborent.

Cap. III.

Claſſes Pariſienſis Parlamenti vniuntur. Reginæ placiditas erga idem Parlamentum. Quid ſit Parlamentũ Angliæ. Decreta Parlamenti Pariſienſis, & Conſilij Regij.

1648.

NONNVLLA Parlamenti Capita, quæ multùm ante hoc tempus cũ alijs ſeditioſis cõſpirauerant, poſtquam vident multos Conſiliarios, & Preſides ab Emerij conſtituto exulceratos cum ipſis conſentire, nec non Populum dolosè captum, & ad primas voces contra miniſterium emiſſas circumuentum eſſe, ac vltrò ad ſuas partes faceſſiſſe, non ampliùs ſatagunt Emerij decretum euertere; & de ſuis emolumentis nihil remittere; ſed, ac ſi iſta leuiſſima eſſent, ad ſolemniora ſe accingunt.

Par-

Parlamentũ Pariſienſe in varias Claſſes, aut Decurias partitum eſt, quarum vnaquæque ſuo peculiari muneri vacat. Claſſes non vniuntur, niſi grauiſſimum aliquod impendeat negotium. Parlamentarij Monarchię infenſi, cùm vident nihil maximum decerni poſſe (niſi Claſſes, & Decuriæ in vnum coeant) ſubornant Populares, vt petulanti licentia hanc vnionem à Parlamento petant. Iſti viriliter exequuntur imperata, & Parlamentarij omnes maximâ cum auiditate oblatã arripiunt occaſionem Claſſes iungendi; inter quas multi, etiamſi fortaſſe ab ijs violentis deliberationibus abhorrerent, attamen à populari tumultu perterrefacti, & à maiori Collegarum numero obruti, vnioni ſubſcribunt. Parlamentum ſic vnitum multò maiorem auctoritatem nanciſcebatur, Rege intra pueriles annos conſtituto.

Prudentię Reginæ viſum eſt Parlamenti furorẽ lenire ab illo auſpicando primordio, quod primum fomitem ſuggeſſerat. Emerium abs Quæſturæ remouet officio; qua deliberatione duo præſtabantur, quorum maiora, non dicã, à Rege, ſed neque ab inferiori fas erat Parlamentum flagitare. Punitione Emerij declarabat Regina ipſum Quęſturę fines exceſſiſſe in taxatione Parlamenti: mox id dabat Parlamento, vt hominem illi odioſum Regis ſeruitio cenſeret indignum. Sed iam Parlamentariorum con-

conceptus, & deſtinata eò euaſerant, vt lenitiuis nec aboleri, nec infringi, nec demulceri poſſent. Ab Anglico Parlamento peſtem conſciuerat. Verè credo ſimilitudinem nominis horum duorum Parlamentorum, quamuis re diuerſa ſint, plurimùm Galliæ offeciſſe.

Parlamentum Angliæ illud eſt, quod proprie à Gallis Status vocatur, Nobiles, Eccleſiaſticos, & Plebeios complectens. Pariſienſis Parlamẽti, (etiãſi Reges multis illud prærogatiuis ornauerint) prima conſtitutio nulla alia eſt, quàm cognoſcere ſuper crimina delinquentium, & cauſas ciuiles d judicare. Sed tunc pupillaris Regis ętas anſam huic dabat vltra ſuę auctoritatis terminos prolabẽdi. Cæterũ in Gallia nec Statibus, nec Parlamento licet, certos limites Regis auctoritati ſtatuere; integrum quidem ijs eſt humiliter rerum cognitionem illi aperire, & Galliarum bonum, ac vtilitatẽ exponere, mox prolato Regis decreto obtemperare. In Anglia diuerſę videntur irrogatæ leges, vbi Parlamẽto ſedente, Regis auctoritas fatiſcit. Galliarum Regis facultas planè Monarchica eſt. Sub hoc tempus Parlamentũ Anglicum Regiam auctoritatem profligauerat, & nonnulli Parlamenti Pariſienſis Conſiliarij in hoc exemplo ſibi placebant, explorantes vadum, an poſſent aliquando illam profunditatem exantlare, in qua tandem demerſi ſunt.

Sau-

Sancito vnionis decreto, ea deliberant, quę popularem auram conciliare ſibi poſſint; & Regis, ac Reginæ auctoritatem eleuare; videlicet exules reducendos (quorum criminum cognitionem ipſi diſquirerent) vectigalia imminuenda. Regina, & Conſilium aliud promulgant decretum, quòd vnionis Claſſium decretũ antiquabat; vocantq; ad ſe Parlamentum, quod Luparam petijt, multitudine Ciuium comitante, plus in ſpeciem minantis, quam parentis. Inibi acriter à magno Cancellario, ac Reginâ obiurgantur, quod tantum temeritatis nacti ſint Regiam auctoritatem libandi, & publicam quietẽ euertendi. Ipſi, nec Reginæ Maieſtate permoti, nec iuſſibus exterriti, à prandio eiuſdem diei vniunt ſe ſe: & decretum vnionis mordicùs ſuſtinere decernunt.

Bruſ-

Cap. IIII.

Bruſcellus Parlamentarius in carcerem truditur qui, tumultuãte Pariſienſe Populo, reſtituitur.

1648.

REGINA, cùm cerneret benignitatẽ parùm proſperè procedere, imò ex ipſa alimentum trahere Parlamentarios ad ſaginandam audaciã, rigorem experitur. Conſiliarium quendam Bruſcellum, omniũ factioſiſſimum in carcerem detrudi iubet. Æmulabatur iſte Cromuellum Angliæ, tantumque nominis apud Populum ſortitus erat, vt ipſius effigies circũferretur per Ciuitatem, ad remotas etiam gentes tranſmiſſa: Auctoritatis Regiæ impugnator acerrimus. A capturâ iſtius Conſiliarij extemplò Populus à Regis obedientia rebellat: arma capit: catenis vias impedit: minatur: furit; auſus etiam aditus ad Luparam ſpectantes intercipere. Idẽ magnus Cãcellarius tantùm nõ interficitur, vſus priuatæ domus beneficio ad furorem popularem fallendum.

Huius detentio Conſiliarij à ſaniſſimo iudicio profecta, & Parlamenti, & Populi ſanaſſet inſaniam; ſi viriliter, ac intrepidè Conſilium

Re-

Regium conſtituta ſua propugnaſſet. At dum deliberationes benè inchoatas ruere ſinit, ſugillat Auctoritatem Regiam, & proſternit: ac ſeditioſorum animos perniciosâ facilitate munit. Aurelianẽſis, & reliqui Proceres partes Regias ſequebantur quidem, verùm tali moderatione, & meditatâ temperãtiâ vires, & auctoritatem ſuam diſpenſabant, vt Arbitri, & medij potiùs, quam Fautores Regiæ partis apparerent. Hinc fiebat, vt Parlamentarij inſolescerent, & vulgarent Principes decretis ſuis aſſenſum dare, quia tepiditatem illam pro ſeſtare arbitrabãtur. Bruſcellus non precibus populi, ſed minis datur: Carceribus educitur: & libertas illi reſtituitur, qui antiquo in Monarchiam odio recentem carceris nectens iniuriam calamitatum ſeriẽ cõmoturus erat.

Quo

Cap. V.

Quò tenderent Parlamenti Decreta, & Populi tumultus, Conuulsiones Aulæ. Regina, & Rex Parisijs abscedunt.

1648.

ANTEQVAM Parlamento redderẽtur captiui, Regina ab illo expressit, vt ex eo die, qui erat vigesimus septimus Augusti vsque ad Sãcti Martini diem à sessionibus superfederet. Parlamenti enim decreta, quæ quotidie struebantur, eò recidebant, vt exactionẽ pecuniæ Regiæ interpellarent. Quarũ sanctionum promulgatione adolescebat Parlamenti auctoritas, & Regiæ vires exoluebantur. Quid enim gratius? quid acceptius? quid, quod magis imprimat beneuolentiam, & intrudat obsequium, renunciari populo vectigalibus oppresso potest, quàm iubere eum à solutionibus abstinere? Nemo inueniebatur, qui hisce iussibus præstò non esset, & qui eos non veneraretur, à quibus talia promanarãt edicta. Intereà Regios Exercitus, stipendijs non refectos inuadebat tabes: dum aura popularis afflabat Parlamentarios, qui exquisita calliditate apud in-

sulsos hanc etiam refugiebant inuidiam Regiæ Potentiæ nocendi: ostentantes velle se feliciora tempora renouare; exonerare nimirũ populum, & Ærariũ Regium ad omnia obeunda munia auro, argentoq; farcire. Quas voces illis sæpè reddidit Regina, ad eos mittens, vt saltem modum subderent tantillæ extrahendæ pecuniæ, quæ præsentes necessitates temperaret: ex qua frustrata petitione liquidior eorum euadebat malitia hoc vnum in votis habentium; vt Regiam Auctoritatem vanis obtentibus, & iactationibus decuterent: abrogando vectigalia, quibus destituta quæcunque Principum emoritur potestas.

Ea proponebantur à Parlamento, quæ iustitiam primâ facie redolebant. Æquum nempè est de pecunijs repetundis iudicium exercere: & eos postulare, qui publica bona depeculati sunt: onera à populo detrahere: pressuras abdicare. Sed multò iniquiùs felicitatem armorum euertere: victorias sui Regis dehonestare: nudare militibus Regnum: hostium arbitrio Prouincias obijcere: pacem (quę instabat) morari: specie ordinandæ Reipublicæ quietem abrumpere: seditiones mouere: hostem accersere: compositum rerum statum in præceps dare. Nõ dictu speciosa, sed vsu necessaria, premẽte bello, sequenda sunt. Per tot mala ad bonũ eundum non est, cuius speratos fructus, antequã asse-

assequaris, consumpseris. Debebat Parlamentum suam Reginæ de rebus ordinandis opinionem porrigere, & præsentis temporis conditionibus petitiones accommodare; non Ciuium armare manus, & subdolâ charitate Imperij pessúdandi consilium obducere.

Bruscello cum socijs soluto, non modò à sessionibus, & edictis temperatur; sed rumores increbrescunt, Ministros Regios lacerantes, qui studiosè in populum dissipati, impedimento quieti erant. Populus arma posuerat: solutis catenis, vias expediuerat: & solita munia resumpserat. Cæterum intensiùs armauerat animum prosperis euentibus obfirmatum. Parisienses captiuorum restitutionem regnantium benignitati non dederant; sed proprijs viribus attribuerant. Si igitur antea tanti suas fecerant vires, vt non veriti sint à suo Rege captiuorum redditionem armati repetere; quantò magis mobiles animos confidentia sui agitabit, postquam sibi visi sunt vicisse?

Non pauci istam populi allucinationem studiosè fouebant: superbos animos extollentes rerum gestarum concelebratione. Inde astruentes liquidò constare, Parisiensem multitudinem posse Regem ad suos nutus conuertere: cũ eiusdem attentatis, vel nuperâ Lẽsianâ victoriâ prẽmuniti, feliciter anteiuerint. Post hæc vafrè spargebant Aulam patrati flagitij vl-

tionem meditari: Exercitus euocari è Flandriâ, qui propediem aduentantes, Vrbem ad grauem Ciuiũ pernicié intraturi essent. Quæ voces iam nimis opes suas æstimantibus prò terrore iram, & vindictæ desiderium incutiebant.

Inter hos Parlamẽti, populiq; motus nusquã ponentes, Consilium quoque Regium suas sentit conuulsiones. Chauinius, Castronouus, Golatius, Regij Ministri cum factiosis conspirant. Regina domesticis insidijs vndique circumsepta sanxit, Parisiensi incolatu admodum infido deserto, Ruelium, & Sanctum Germanum adire; quæ loca, apud Reges Galliæ in delicijs habita, digressum honestabãt. Nihil magis Parisienses, quàm Regis absentia flagellat: tum, insito ergà suum Regem amore, cuius præsentiâ implentur: tùm lucri cessantis puncti molestiâ. Hoc quoque peculiare rumores habent populares, vt citò consenescant. Videbatur igitur Ciuitas diutiùs non latura absentis Regis desiderium: & quem tumultibus extruderat, obsequio, & quiete reuocatura; quod si demum insanire non desijsset, armorum remedium in promptu esse. Pertinacia quippè populosissimæ Vrbis (cui cõsulere malebat Regina, quàm officere) tutiùs obsidione, quàm Exercitus introductione expugnaretur. Fames bonam mentem reuocauisset incolumi Ciuitati, quam ferrum perdidisset. Interea Chauinius captiuus Vicennis con-

concluditur: Golatius,& Castronouus proscribuntur.

Cap. VI.

Legatio Parlamentariorum ad Reges, & Principes. Compositio rerum.

1648.

REGIS extra Vrbem incolatus Parlamentarijs formidini, populo iacturæ erat. Mercatores, & Artifices ijs priuabantur lucris, quæ consuescunt ab Auulcis contrahere: Parlamentarij verebantur, ne euocarentur è limitibus Flandriæ milites ad Vrbem obsidendã. Idcircò vigesimâ secundâ Septembris nuncios ad Reginam allegant, Regis, & ipsius reditum orantes. Volunt suum Regem exorare, & ipsi quotidie magis euadunt inexorabiles: vt reuertatur ad Vrbem, rogant, nec eas amoliuntur causas, quę eum ex Vrbe abegerant: Minaces quoque adhibebant preces, & simulantes pauorem, eum nitebantur in administrantium animos ingerere: Consternationem populi, & impendentia mala in suis contumacibus sermonibus ita vsurpabant, vt appareret in alios potiùs, quàm in se ipsos recisura esse.

Respondet Regina, discessum Regis Rueliũ, & Sanctum Germanum versùs eâ anni tempestate nullam aliam nouitatem inducere, præter illam, quam sibi fingebat Parlamentum: inueteratum iam esse, vel in puero Rege, Autumnum in his delicioſis locis extrahere; vt laxaret animum, & corporis vigorem aeris salubritate confirmaret: nihil mali contra ipsos statui: se preterita non ex animo modò, verùm etiam è memoria abrasisse.

Apud Reginam legatione defuncti Nuncij Parlamentarij, inuitant Aurelianensem, & Cõdæum ad Vrbem postridiè veniendum; vt interesset ampliſſimo congressui à Parlamento ea die destinato, in quo rationes Status validiſſimas disquirere consilium erat: & eas sancire deliberationes, quæ primum mali fontem obstruerent. Hęc erat expulsio Cardinalis Mazarini, cuius administrationis excellentiam cùm fortuna quoque ad id diei prosperis euentibus illustrasset, aduersarios multos illi creauerat. Insuper Parlamentarijs nulla videbatur fida reconcilatio, dum Cardinalis sententia à Reginæ probaretur: quo expulso, mutatoque consilio, vel recenter acta apud nouos Ministros pro exoletis haberentur. A Principibus responsum est, se à Regis, & Reginæ latere non posse discedere; nec in eorũ fedère cõuentibus, quin Regis sanciaretur Auctoritas.

Con-

Condæus nuper è Flandria ouans veneratt nulla Parlamenti contagione adhuc inquinatus: sed ipsius consãguinei Parlamentariorum arcana degustauerant. Ij, vel vlciscendi gratiâ Cardinalem, vel fortunas suas proferendi, à præsentibus conuulsionibus nõ abhorrebant. Hinc Parlamentarij posse eodem hamo Principem capi non desperabant, vel saltem ita irretiri, vt languidiùs Cardinalis vices prosequeretur.

Quamuis non deessent ex Regis Consiliarijs, qui arma extemplò expedienda, & Vrbem obsidendam esse proferrent; nihilominus visum est negotiatione potiùs, quàm ferro decernere. Aurelianensis, & Condæus exarant ad Parlamentum litteras, quarum tenor erat: cùm ipsi Parisios adire non possent, bono publico expedire à Parlamento seligi, qui ad eos veniant, vt concordiæ modi inuestigarentur, antequam adultum malum, nec sustineri, nec remedium pati posset. Ocyssimè Parlamentum nuncios Sanctũ Germanũ mittit; in omnibus negotiationibus virium auctarium nanciscebatur. Inibi post multas altercationes, & quorundam dierũ consumptionem, eas extorquent à Rege concessiones, quas sibi in animum induxerant, & saltem hac compositione petitionum radices extirpatæ penitùs essent, cum è contra inde pullularent.

Persistente vnione illâ adeò perniciosâ assiduis

seſſionibus, & iugibus commentis, nullus vnquam apparebat diſſenſionum finis; imò ſemper verſabantur in exordio compoſita turbandi. Multa grauamina Regno, & Pariſienſi Ciuitati condonata ſunt, quibus belli moles hærebat, ſine quorum exactione Rex hoſtibus ſuccumbere periclitabatur. Parlamentum hac vectigalium remiſſione protectionem ſuam populis approbauit, quorum animos hac gratiarum impetratione faciliùs verſabat. Quare, vbi videbantur deſinere ſimultates, ibi incipiebant, & donum Regium à Parlamento extortum, vti Regis arctabat vires, ita internas propagabat diſſenſiones; tantumque potentię cumulabatur Parlamento, quantum à Rege decedebat.

Regina nunquam conſueuerat contraniti voluntatibus Principum, & Conſiliariorum; ne ipſa, quę bellum magis execrabatur, videretur minùs paci conſentire. Quamuis inſpiceret inter tenebras properari, haud magnò negotio in ſententiam trahitur. Si Aula incolatum ſuũ extra Pariſios protraxiſſet, & vnitum conſiliũ Parlamenti decretis reluctatum eſſet, demum Populus iacturis delaſſatus contentiones faſtidiuiſſet.

Cap.

Cap. VII.

Vnde Funditorum nomen. Necessitas cogendi pecuniâ, cuius coactioni intercedit Parlamentum. Causæ, quæ Regem impulerunt ad Parisios rursus deserendum.

1648.

VEL versutiâ eorum, qui pręstò erant Parlamento, vt Clientes suos innouato nomine à Regijs distinguerent; vel nouitio alicuius ex Regis partibus inuento, qui factiosos despectui haberet, isti Funditores vocati sunt, quasi fundâ lapides iacerent. Qui lusus puerorum ad eam existimationē percrebuit, vt potioribus Principibus funda placuerit: Parlamento, & omnibus his, qui fundæ nauabant, propediē vires nanciscentibus.

Rex, & Regina Parisios ingrediuntur die prima Nouembris magnis Populorum acclamationibus, quæ sicut parùm sincerè exhalabant; ità parùm gratè Regias aures ferieb ant. Vndique enim struebantur insidiæ, quas Regina intelligere dissimulabat, ne locum auferret pœnitentię. Nullus tamen erat, qui resipisceret. Vnusquisque seditiosorum operam suam egregiè curabat

rabat : animum potiùs applicans ad augendam factionem, quàm vt incepti pœniteret. Vndè Reginę mens internis concussa, & externis hostibus sollicitata, in varias partes diducebatur. Prouidendum erat interno morbo, ne vlteriùs serperet. Hispani quoque obseruandi, qui expeditiones militares vrgebant, vt Gallum turbis implicitum occuparent, & imparatum obruerent. His de causis ipsa suo militi requiem, & supplementa destinabat. Sed negotium facessebat pecuniæ defectus. Hoc vnum Parlamẽti diligentia nauiter præstiterat pecuniæ coactioni intercedere. Omnia itaque tentabantur media, quæ pecunię collectionem sponderent. Inter quæ nullum opportunius inuentũ est eo, quod in vrgentioribus necessitatibus vsurpari solet, redditus scilicet anni subsequẽtis oppignerare ijs, qui præsentem pecuniã adnumerarent. Nec defuerunt ex illis, qui pecuniam fœnori dare consueuerant, qui eam obtulerunt ; dummodo legitimus vsuræ prouentus sibi assignaretur. Cõtractus à Camera Computorum, prout ferebat temporis calamitas, vtilis censebatur.

Fũditores (qui omnibus motibus mentẽ adhibebant, & diligenter, quicquid Aula molicbatur, captabant, vt prouisiones Regi vtiles infringendo prohiberent, ne Potentia Regia admodum

admodum afflicta instauraretur) postquam vident Administrantium sollicitudine inuestigatũ esse modum ad congregandam pecuniam opportunũ [quæ Exercitũ instaurans, eos perinde ac hostes territabat] nunquam adeò callidè pertractarunt fundam: suas technas, & versutias hinc inde iaciunt, quæ cùm paruam impressionem apud Computorũ Cameram facerent, nouissimè conscientiâ exagitati, conscientiâ abuntur. Producunt conscientiam ab ijs enormitèr lędi, qui huic contractui subscripserant. Congregant Theologos, Curatos: omnium sẽtentias adunant, quas ad Parlamentum, & Cõputorum Cameram deferunt, omnibus grauitatẽ peccati exprobrãtes: quod patrabaẽ ab his, qui similibus vsuris assensum dabant: tantùmque præstiterunt, vt Computorum Camera Decretum antiquauerit.

Multi Proceres à Regijs partibus ad Parlamentum secretò desciuerant: & ex occulto grauia facinora meditabantur. Duciſſa Longauillæ Maritum suum, & Fratrem Principem Contiũ à Regina abalienauerat. Hęc mulier Princeps ex causis leuioribus Cardinalem oderat. Impossibile enim est supremum Ministrum omnibus placere. Vbi petitiones transcendunt orbitam, omnibus displiceat consonum est, si debet munere suo ritè defungi. Regina Funditorum insidias odorata, infausto Parisiorum, incola-

colatu relicto, Sanctum Germanum rursus se recepit.

Hæc secunda ex Vrbe migratio eò tendebat, vt Populum, & Parlamentum armis comprimeret. Vsu armorum necesse erat, vt cuniculi Fundatorum explouderentur, & vnusquisque nudaret animum suum, nec ampliùs fluxæ fidei obtentu Regem falleret. Constitisset etiã Regi, quales nam vires Parlamento, & Populo essent, qui fortasse armorũ administratione suæ debilitatis cõmonefactus, superciliũ omisisset. Nam Populus vires suas immensùm iactabat, vulgabatque in eius potestate esse Regem constituere, & tollere; còque euaserat delirium, vt non nisi vna arma viderentur insanas mentes reducere ad pœnitentiam posse. Ad hæc bellũ adegisset Populũ ad impensas tolerandas, quibus nihil magis populares animos ad dissensionem se obstinantes frangit; tunc potissimũ cùm artes torpescunt, & cõmerciorũ vsus feriatur.

Cap.

Cap. VIII.

Acta à Parlamento. & Rege poſt ipſius diſceſſum.

1649.

EVVLGATO Regis diſceſſu, equè boni, ac mali Ciues ingemuerunt: obſequētibus graue videbatur paucorum temeritate expulſū eſſe Regem; Fūditores dolebāt ſuos ictus nequicquam cecidiſſe; vt tamen aliquod emolumentum ex hoc diſceſſu extraherent, Cōcionatores impellūt, vt exclament non iuiſſe Regem, ſed abſtractum, & vi è Maiorum ſuorum Solio eductum, vt intelligeret Populus Cardinalem Mazarinum raptorem fuiſſe. Sciebant enim de nullo alio interpretaturum. Non poſſum hìc non mirari, quàm patuo commentorū, & artium apparatu Populi circumueniantur, cùm ſemel aliquam ſpeciem apparentē, & plauſibilem conceperunt. Adhuc calens erat memoria eorum, quę pridie act. fuerant in Senatu: vix (vt ita loquar) detorſerant oculos ab ijſdem Concionatoribus contra Regis deſtinata loquentibus; & forſitan non pauci ex ijs, qui percipiebant concionem, ſubornati erant ad arma induenda, & ſeditionem inflammandā; dein

volunt

volunt credere Funditorum violentiâ non eiectum fuisse Regem, sed Mazarini raptu abductũ. Adeò verum est vulgus hominum velle decipi.

Regina, vt voces à Parlamentarijs in detrimentum administrantium dissipatas rationibus confutaret, scriptum edidit, quo Rex exponebat, se Funditorum machinis, auctoritatem suã arietantibus, & cuniculis in se ipsum actis hunc discessum dedisse: cæterùm, si populus arma exueret, & Parlamentum se colligeret, ac ab erroribus discederet, eueſtigiò reuersurũ. A Parlamento etiam varij discursus emanarunt; nec nó tam ab ipso, quàm à populo electi sunt, qui mãdata ad Regem deferrent; sed Parlamentarij à Reginæ præsentia excluſi, & populi nuncij asperis responsionibus dimissi, qui caduceatores venerant, feciales reuertuntur. Hanc tamen nunciorum exclusionem omnes non ita probant, eò magis, cùm Ministri Ciuitatis, & multi etiã ex Parlamentarijs cæterorum petulantiam secretò abominarentur. Maior nempè pars Parlamenti aliorũ vota exprimebat, illustriores ciues à populari fęce obruebãtur; imò sub hos dies, cùm quidã ex Cõsiliarijs in egressu Parlamẽti temerè effutiuisset vereri, ne Ciuitatis Præfecti Parlamentum Regi proderent: Populares (ad quorum aures hęc vox allapsa est) stricto gladio Mercatorum Prępositum vestigabant, à cuius amicis, & consanguineis vix contineri potuerunt

runt, quominus eum interficerent.

Tunc vulgatum est Condęi Principis consilio, & auctoritate hanc legationem reiectam esse, eò quod ipse abhorrens à pace belli impedimenta remoueret. Vt multi opinabantur, de præsenti bello non displiceba Condæo, quòd illud sibi honorificum, & quæstuosum duceret. Dum suæ operæ necessitatem Regi faceret, sperabat consequi, quę pacato tempore non impetrasset. Præter fratrem Contium, & Sororium Longauillam, destinata Parlamenti Capita, multorum etiam Parlamentariorum amicitiam colebat; vt ipse Regis armorum Præfectus vniuersæ molis Rector euadens, eam ad nutum vel impelleret, vel sisteret. Haud eum fallebat, [si res bello tractaretur] Parlamentum causam suam armis propugnaturum; & in primis eò conuersurum esse furorem suum, vt Cardinalem edictis incesseret. Tunc aucbat ipse Regiam partem fouere, & Mazarini protectionem suscipere, vt postulationes suas, quas immensas præparabat, Regi cohonestarent merita, Mazarino approbaret obligatio.

Ex oppositio aduersùs hos publicos sermones Condæi gesta steterunt, qui discessum Contij, & Longauillæ prosecutus est epistolâ ad Ducem Buglionium datâ, qua eum monebat, ne fortè se consium fratris, & sororij deliberationum esse crederet, cùm illi se imprudente, Parlamento

hæ-

hærendi consilium iniuissent; imò Buglionium precabatur, vt Parisijs Aulam versùs faceſſeret, promittens, Reginam ampliores gratias illi indulturam esse. Certò Condeus, in Parisiense obsidione partes Regias strenuè, ac fideliter curans, se ab hac suspicione ita purgauit, vt etiam circũspectiores existimauerint, ipsius res ab illis Generalium Parlamenti diremptas penitùs esse;

Cap. IX.

Obsidio Parisiorum. Parlamentum ab Archiduce Leopoldo auxilium petit. Pax rursus componitur.

1649.

TVM ex omnibus Regni partibus Parisios euocantur milites; sepiũtur aditús; insidentur flumina; Parlamentariorum Copiæ vndique profligantur. Ciuitas illa populosissima à commeatibus prohibita, vltimam omniũ calamitatum famem expectabat. Parlamentum animos in imbecillitate non despondet; imò iustum timorem in audaciam vertit: Promulgat edictum contra Cardinalem Mazarinum, quem auctorem seditionum vocat, & præcipuã omnium malorum scaturiginem, quæ profluebant

bant in Galliam, depraedicat: exilio mulctat, & nisi octo pòst diebus è Regno excederet, pœnã irrogat capitalem: Populum commouet: militem conscribit: imperat pecuniam: exigit portoria: arcibus omnibus, quæ in Ciuitate sunt, potitur. Contium Generalissimũ designat: Helbeffium, Bullionium, Bofortium Legatos: Lõgauillæ Ducem in Normanniam mittit, vt illã Prouinciam, cuius erat Gubernator, à Regis obedientiâ deducat: Nuncium ad Archiducem Leopoldum opis implorandę gratiâ allegat.

Archidux opportunam occasionẽ arctissimè complectitur; vnum ex suis eligit, qui maria, & montes Parlamentarijs promittat. Inter tot miracula, vnum Populus edebat, dum spoliatus quęstibus, onera, quę grauissima imponebantur, toleraret. Recusabat tantillam pecuniã Regi contribuere, quæ contra publicos hostes debebat impendi; & maximam adnumerabat Parlamento adimpensas belli in Regem administrati. Regina, & Consilium aliud edictum contra Parlamentum promulgant, quod rebellionis crimine notabant, nisi intra viginti quatuor horarum spatium Montarsisij se sisteret. Decretis aspirabant arma. Carentonium expugnatur maximâ cum seditiosorum iacturâ: Herlachus cum octo millibus militum ex delectu Germanorum Exercituum ad Vrbem approperabat.

Profectò Regiam iram non euadebant Parlamentarij, & Populus, si arma Regia fidos Duces habuissent ; sed Turena partem Germanici Exercitus seduxerat, nec omnes ij, qui circumsederant Parisios fidelem operam nauabant. Archidux ex amissis Arcibus nonnullas receperat, alijs imminebat : Picardiam etiam intrauerat laborantibus opem laturus, quod vel simularet, vel exequi in animo haberet, [cum res tolerabili concordiâ componi possent] , inconsultum erat pugnę euentum opperiri, cuius victoria nihil magis Regi , quàm Ciues obsequentes, & submissum Parlamentum prestitisset, clades verò iacturarum seriem inuectura erat. Quare, cùm apud Parlamentarios vndiq; fractos, & Populum tot miserijs coopertum prosequendi belli impetus defecisset, Reginæ visum est res vtcunque componere. Parlamentum ex conuento Sanctum Germanum adiuit, Regem humiliter salutatum : promittens non ampliùs intercessurum pecuniarum exactioni, & abrogaturum edicta contra Cardinalem edita, quæ duo erant potiora belli fundamenta.

Cap.

Cap. X.

Poſtulata Ducum Parlamenti. Cameraci obſidio ſoluta.

1649

CONTIVS, & reliqui Parlamenti Duces catalogum poſtulationum adeò diffuſum produxerunt, vt magis Parlamentum, quàm Regios Miniſtros ſimilibus aſſuetos poſtulatis exterruerint. Quibus planum fecerunt nõ Populi vices, ſed res ſuas curauiſſe: nullaq; caritate, aut amore opus ſuum illis, ſed ſibi impendiſſe. Fruſtrà laborauerat Parlamentum impetrare à Rege, vt populi à grauaminibus leuarentur, ſi pauci ex ſuis Ducibus plus flagitabãt, quàm remiſſum populo eſſet. Parum tamen à Rege obtinuerunt; licet ex poſtulatis Ducis Longauillę magna contentio inter Condæum, & Cardinalem exorta deinde ſit.

Moleſta fuit Archiduci Leopoldo hæc reconcilatio inter Regem, & Parlamentum, quæ, etiamſi parùm ſtabilis videretur, nihilominus in præſentiarum vaſta ſua oppugnabat deſtinata. Cauſæ tamen ſuæ egregiè ſtuduerat, dum Flandria Gallicis nudata armis erat. Sanctum Ve-

nantum, & Iperam recuperauerat; & vlteriùs properauiſſet, ni Comes Arcurtius, Mareſcalcus Gramontius, & Herlacus cum fortiſſimo Exercitu illuc contendiſſent; circumueniſſentq; Cameracum: quod tenuiter munitum intra paucos dies concidiſſet, niſi ſubſidium ab Achiduce intromiſſum obſidionem laxaſſet. Tunc, cùm prouecta Æſtas iam eſſet, viſum eſt nihil vlteriùs moliri præter excurſiones in hoſticum. Flandria, & Annonia expilatę ſunt. Oppidum Condęi captum, & munitum præſidiario milite ad defendendas iniurias, quas per hyemem Hiſpani huic Arci, à Galliæ limitibus admodum diſtractę, inferre potuiſſent. Exercitus in hyberna dimittitur: Regina, Rex, Princeps, & Cardinalis Pariſiorum incolatum reſumunt.

XI.

Nouum bellum inter Innocentium X. Pontificem Maximum, & Ducem Parmenſem. Mors Caroli II. Anglorum Regis.

1649

DVM Gallia mutuis concuſſa odijs, poſt tot hominum ſtudia vnam pacẽ agitantia, eã ſolùm inuenire quietẽ poteſt; quæ furentibus ingenijs ſpatium ad ruminandas ſeditiones elargitur, Italiæ otium abrumpitur. Innocentius X. Pontifex Maximus in Ducem Parmenſem bellum mouit. Cauſę eędem recenſentur, quæ à paucis annis Vrbanum octauum ad arma impulerant.

Menſe Ianuarij huius anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi noni Curatores Pontificis decreto vallati cum militum præſidio Ciuitatem Caſtri petunt, vt lege agant, & ſententiam fauore Creditorum Montis Farneſij emanatam impleri nitantur. Parmenſes armatis arma opponunt, & regreſſum iubent. Hinc, cum ambæ partes incaleſcerent, & Pontificij arma minarentur, Epiſcopus clàm necatur. Tunc, omni ręcisâ ad bellum morâ, Caſtrum obſidetur.

Dux ſuę Ciuitatis periculo adductus, Exercitum ad ſubſidium illi deferendum exornat. Marchio de Mathæis Pontificis Generalis, contra aduentantes Parmenſes aciem explicans, in Bononienſe confinio illos adoritur, diſſipatiſque eorū ordinibus, in fugam adigit. Mox Caſtrum, deſperato ſubſidio, deditionē facit, cuius non modò mœnia humi deponuntur, ſed tota Vrbs abraditur, erectâ columnâ, quæ inibi quondam fuiſſe Ciuitatem Caſtri poſteris deſignaret. Æquū duxit Pontifex eam Vrbem non viuere, in qua Epiſcopus ferro perierat. Interceſſione magni Ducis Etruriæ pax inter Pontificem, & Parmenſem componitur hac conditione, quod Caſtri Regio tandiù pignoris loco apud Pontificem cuſtodiretur, quoad Dux iuſtas creditorum petitiones debiti ſolutione expunxiſſet.

Illuxit dies Februarij decima ad obnubilandā Londinij Regiam. Carolus primus Anglorum Rex, reus capitis ſententiâ populari renunciatus, Carnificis ictum excepit. Angliam, & Scotiam religionis ſtudijs diſtractas ſatagens hic Rex ſub vnâ religionis ſectâ comprehendere, multitudinem ſibi inconciliauit. Scoti non modò primi rebellarunt, ſed arma in Angliam detulerunt. Regi validis copijs munito, Scotorum motibus occurenti, detrimentoſa potiùs ſedit concordia, quàm pugnæ ſubire diſcrimen. Secundùm hanc pacem (quæ tunc illi ſatis euidentem

dentẽ è manibus eripuit victoriã, & in posterum impendentibus exemisset iacturis) Anglis, & Scotis cœpit vilescere: eum nec consilio, nec animo, nec opportunis deliberationibus instructum æstimantibus. Vndique sollicitatus Rex, & pecuniâ exhaustus, Parlamentum inuitò vniuit, quod illicò omnes eius amicos insectans, Proregem Hybernię præcipuum ex Regijs Fautoribus capite condemnauit.

Rex Parlamenti minis exterritus, vt declinaret bellum, quod instabat, capitalem clientis sententiam subscriptione ratam fecit, non prę-uidens, istius interitum sui exitij prodromum esse. Tandem, nunquam cessantibus Parlamentarijs Regiam premere auctoritatem, serò ad arma respexit. Bellum tandiù procrastinatum amicis, & viribus exutus parare cogitur, quod illi infaustissimè cessit; multis quippè aduersis prælijs fractus in Farfaxii, Cromueli, cęterorumque hostium suorũ manus captiuus incidit. Isti eum subdolè ad salutis spem erexerunt, modò suum, & militum obsequium ostentantes, modò propiùs accedentes Londinium, specie cum Parlamento transigendi: modò pollicentes veterẽ illi auctoritatẽ restituere; quibus illusionibus ad mortẽ, quã ei destinauerãt, proludebãt. Necessarijs omnibus ad tragædiam inaugurandã præparatis, hunc miserum Regem Londinium conuehunt, vbi Congregationem quamdam

Pseudoiudicum, & nequam hominum coegerant, à quibus, tanquam publicę turbator quietis, capitali supplicio necatur.

Cap. XII.

Gesta in Italia, & Catalonia.

1649.

GALLIARVM commotiones vires Regias ab Hispanorum auertebant Prouincijs, in quas præteritis annis grassari consueuerant; vnde Hispani sibi videbantur ad nouam lucem emersi, cùm aduersa perijsset fortuna, & secunda renascceretur. In Catalonia Marcini, & Margariti diligentia, ac alacritas exemit Prouinciam graui iacturâ, quam acceptura erat à Garaio, Prefecto Hispanico, benè multis Copijs instructo, qui Barcinonem occupare per insidias meditabatur. Sed horũ Ducum solertiâ, coniuratione Ciuium detectâ, prȩter quorundam debilium locorum deuastationem, nihil magis Hispanus consecutus est.

In Italia Marchionis Carasenę administrationem aduersa Gallorum fortuna nobilitauit. Exercitu enim collecto, Casale maius, & Pomponescum exiguo labore redemit; deinde in ri-

risdictionem Ducis Mutinæ impetum fecit, multaque loca occupauit; & res bellica, ex parte Ducis ad triarios redacta, extremè laborabat; quia iste Dux, à Gallis destitutus, Hispanorum vires vnus regere nequibat. Parmæ Dux, officiorum suorum interpositione, ineuitabili iacturâ Mutinensem vindicauit; ipsum enim honestâ pace pristinę Hispanorum Regis amicitię, & gratię restituit.

In Pedemontana Regione non cessabatur ab armis, quam Hispani subsidijs Gallorum offendentes vacuam incursabant Albę Pompeiæ primùm minati sunt: mox apertam hostilitatem ad Ceuam detulerunt; quam Vrbem ingressi, fortalitio oppugnationem intentarunt. Sanctaunesius, qui modicas Gallorum reliquias curabat, cũ Comite Verrucę Equitatus Sabaudici Præfecto, & multâ manu tumultuariorum militum ad subueniendum obsesso Castro certissimâ deliberatione congrediendi accelerat. Interea Comites Alexander Borgarellus, & Mauritius de Santis arcis Præfecti ab egregiorum Ducum munere nihil remittebant. Vnde Hispani, & à validâ propugnatione repressi, & subsidij proximitate consternati obsidionem deserunt, vnde venerant, se recipientes.

Maritima quoque Ducis Sabaudiæ ditio vsque dum bello immunis Augusto mense laborare cœpit. Classis Hispanica Vneliam applicat,

cuius

cuius militum manus in litus egreſſa, Oppidanos ad omnia imparatos preſidium coegit accipere. Videbantur Hiſpani aliquam ſpem alere ſemidirutum muniendi Caſtellum, & in hac maritima Regione diutiùs nidulandi; ni Sabaudiæ Dux maturè huic anteueniſſet conſilio, iubens Marchionem Sancti Damiani Gubernatorem Villęfranchę in finibus Nicęę, & Marchionem Vmbertum quoque Montiſregalis Prięfectũ cum euocatis ſuarum Regionum militibus recuperationem Oppidi tentare, antequam Hiſpanorum munitiones vlteriùs adoleſcerẽt. Quod feliciter executioni mandatũ eſt: primò Vrbe adnitentibus Ciuibus: mox Caſtro Hiſpanis deturbatis.

Cap. XIII.

Quo in ſtatu res Pariſiorum eſſent. Burdigalæ deſectio. Cauſæ.

1649.

PARISIIS magis deſierat bellum, quàm pax eſſet: vexationes arrogãtiam populi fregerant: Parlamentum etiam quietiùs agebat; imò ex ijs multi à ſuis Ducibus deſciuerãt, quorum metam cognouerant nullo modo ad bonum publicum dirigi, ſed Gubernationes, Præfecturas, Amplitudines, & Pecuniam ſpectare.

Adhuc tamen à vaſtis, & irrequietis quorũdã Funditorũ cogitationibus pax interuertebatur, qui reputantes malè in ſe Mazarinum animatum, illum arietare non ceſſabant, donec præcipitem agerent. Cupijſſent iſti miniſterij clauo Gondium Pariſienſis Archiepiſcopi Coadiutorem admouere.

Verè in Gondio, præter natalium ſplendorem, dignitatem Eccleſiaſticam, & potentiam, conſanguineorum, ac amicorum multitudine innixam, gentilitię quædam, & ſublimes animi dotes emicabant. Ingenium lucidum, expeditum, & promptum, quod nec magna, nec diuerſa

uersa morabantur negotia, quin illa confestim expenderet, ac euisceraret. Mentis perspicaciã liberalibus studijs acuerat: ornato dicend. genere; eaque facundiæ soliditate, ac elegantiâ præcellebat, quæ magnorum virorum existimationem, & famam apud vnumquodque hominum genus, vel infimum, vel medium, vel supremũ solet extollere.

Princeps quoque Condæus clientum numero, Arcium, & Prouincialium Præfecturarum multitudine ità quotidie firmabat auctoritatem suã, vt Aulæ formidini esset. Inter tot mala vnum bonum elucebat, quòd isti duo nunquam potuerant desideria sua inuicem associare. Nam Gõdio non placebat tanta à Principe affectata potẽtia, quæ etiam sibi ministerij clauum adepto grauis, molestaque fuisset. Princeps verebatur Gondium supremum Ministrum experiri, qui consanguineorum, & amicorum numero obfirmatus. Regio quoque brachio innixus flocci pependisset ipsius minas, quæ Mazarino terrori erant. Et verè, si Princeps in suis petitionibus aliquali vsus fuisset moderatione, nullum Ministrum sibi magis addictum, quàm Mazarinum nancisci poterat; quia iste elato Condæi genio, & expetitæ amicitiæ de Regia munificentia plurimum semper contribuisset.

Hos inter duos meabat Aurelianensis Ducis auctoritas, qui, si vires suas pro bono publico im-

impendere voluiſſet: videlicet ſeditioſorum poſtulatis obſtructas aures præbere: (ea maximè tempeſtate, qua Regina, & Cardinalis hunc vnum reſpiciebant) veneni malitiam demulſiſſet. At, humaniſſimus Princeps dum omnes exaudire volebat, & nemini diſplicere, cuncti ſpe ſuæ protectionis lactati, ea ad publicam perniciem abutebantur.

Hac qualicunque Pariſiorum quiete ne Regina frueretur, impedimento erant Burdigalenſes motus. Hæc Ciuitas opulentiſſima Galliæ, Aquitanię caput in Ducem Epernonium Gubernatorem Prouincię ſimultates, vel ſimulabat, vt obtenderet rebellionem, vel verè profitebatur. Hac quęſitâ occaſione, induit arma, & Liburnum propinquam Ciuitatem oppugnat, à qua cum graui clade repulſa à Rege Hiſpaniarum, quibus ferè eſt contermina, orat ſubſidia, palamque obſequium erga Regem exutum nudat.

Duę Ciuitates ditiſſimæ totius Galliæ, Pariſij, & Burdigala, minùs, quàm cæteræ, vectigalibus præſtæ rebellant. Pariſienſes totum Gallię aurum beneficio Aulę profundentis ad ſe alliciunt; vnde Lutetia præſtantiores Europę Ciuitates opulentiâ longè præcellit. Omnia mercimonia Aquitanię, deferente Garumna flumine, Burdigalam conuehuntur, quę in remotas Regiones amandata Anglię, Hiſpanię, Hollandiæ

pe-

pecuniam exugunt. Nulla hìc pauperiei impulsio, aut preſſura vectigalium rebellionem ſolicitauit; imò omnes Regiones Galliæ bello magis expilatæ, & militum vexatę auaritiâ, nunquam vacillarunt in præſtanda Regi obedientia: & quod magis eſt, vel exemplo aliarum, & hortationibus inſtigatæ.

Subditos ad rebellionem plus inuitat opulentia, quàm paupertas. Hæc, cùm ad extremum peruenit, deſperationem incurrit, vt acciđit Neapolitanis; et tunc neceſſariam facit à Principe defectionem, quæ aliqua portoriorum caſtigatione reuocatur. Cęterùm moderata paupertas obedientiam plus ſuadet. quàm diuitię, quæ confiſæ viribus ſuis etiam libidines contendunt explere. Quis hanc iniecit mentem Pariſienſibus, vt Cardinalem Mazarinum nollent in Regis conſilio ſedere? Quis Burdigalenſes dementare fecit erga Ducem Epernonium illis à Rege Gubernatorem datum, vt exploderent, & Imperium illi abrogarent, præter opulentiam? Sciebant enim pecuniam ſe poſſidere ad cogendum militem; ad conſtituta ſua armis protegenda; opibus ſuis ſuperbiebant. Iuſſibus Regijs, precibus Procerum, quod ſuum non erat dare, nolebant remittere.

Finis Secundi Libri.

VARII

VARII EVROPAE EVENTVS COMPENDIARIE DESCRIPTI.

LIBER TERTIVS.

Cap. I.

Condæus, Contius, Longauilla conduntur in carcerẽ. Cauſæ iſtius detentionis. Qui ex eorum amicis in exilium acti ſunt.

1650.

ANNVS milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus prompſit nouitatem, quę toti Europę vberrimam diſſertationum ſegetem exhibuit. Princeps Condæus, Contius, & Longauillę Dux truduntur in Carcerẽ. Egregium facinus, ſed nequaquam fæminile putarit Regina ſub Rege Pupillo Sanguinis Principes in cuſtodiam tradere. Arduum erat inuenire, qui hanc prouinciam ſubirent; & tamen inuenti ſunt, qui Reginæ imperata Principum amicitiæ prępoſuerint.

Pri-

Primum huic fomitem deliberationi ſubiecit Duciſſa Eguillonij. Princeps Condęus in vxorem dedit Duci Richelio quamdam mulierem, plus ſtudens rebus ſuis, quàm Ducis vtilitati. Deinde eâdem Matrimonij consũmationis nocte ſponſos digredi Portumgratiæ iubet eius cõcomitatos equitibus, & pecuniâ Præſidiarijs diſtribuendâ. Prefectura iſtius Arcis ad Eguilloniam ſpectabat, poſt cuius deceſſum iure hæreditario ad Richelium deuoluebatur. Eguillonia, quæ Nepoti Richelio excelſiores nuptias deſtinauerat, plùs Condęo, quàm illi ſuccenſet. Sciebat enim Richeliũ, vt obſequeretur Principis genio, hoc ſibi impar matrimonium iniuiſſe. Ideò Reginę aures iuſtis imbuit querelis: oſtenditq; hoc matrimonium ad Portumgratiæ dirigi: illuc induxiſſe Condæum mulierem recenti ſibi expetitarum nuptiarum obſtrictam beneficio: Equites etiam ſpecie obſequij, vel tutelę itineris comites ſponſis datos, & pecuniam ad milites præoccupandos. Eguillonia ſpoliat ſe Arcis Præfecturâ, & eam in Reginę manus deponit: aſſerens imminenti periculo maturandum remedium eſſe.

Reginam altiores curæ defigebant. Sentiebat ſe à Principe deſpici: cum non deceret Richelium Ducẽ, & Parem Franciæ ſponſam adciſcere, ignorato Rege, cuius intereſt de ſimilibus matrimonijs, vel ſubſcriptione aſſeuera-

re

re. Condens ad potentiam suspectam, & Regias prægrauantē vires peruenerat; crescebatque in dies tanto cum feruore, & impetu, vt Reginæ formidabilem se faceret. Petierat gubernationem Pontisarci pro Duce Longauillę eò feruenter, vt conferendi moram crimini verteret. In Cardinalem, negantem, hanc Arcem Longauillæ promissam à Regina esse, adeò exarsit, vt in Aulam se pedem nō immissurum diceret, donec inibi Cardinalis moraretur. Ad summum tota die ad altiores gradus seruos, amicosque suos erigebat. Validioribus Regni munimentis, vel auro, vel Regijs concessionibus potiri affectabat. Quibus à parū beneuolis appendebatur subditi metam ægrè sibi definire: Insertum defectioni Burdigalensi ad aliquam Galliæ partem respicere, in qua supremum sibi conderet imperium. Quibus destinatis opportuna erat Portusgratiæ accessio, quæ totam subijciebat Normanniam: Parisijs, & vniuersæ Galliæ imponebat habenas: commoda ad subsidia ab externis Principibus deducenda.

Ex quibus multa commentitia videntur. Potentia, & crescendi desiderium omnibus propè hominibus, potissimùm adolescentibus rerum magnarum plerunque cupidis infixum dissimulari non possunt, nec non quędam agendi, & irascendi promptitudo, quam Regina ad suimet despectum referebat.

Veruntamen Reginam mala, quę inſtare ab Aulicis præſagiebantur, non vltio commouerunt: maiora nempè toleraſſet, ſi Condæo incolumi ſaluari Rēpublicā poſſe duxiſſet. At cū Aurelianenſis, & Mazarinus eadē repetiuiſſent, quorum multa ipſius menti, & oculis anteſtabant, tandem Condæi, Contij, & Longauillę detentioni ſubſcripſit; Frater enim, & Sororius in eodem facinore verſabantur. In hac executione, vel tegenda, vel diſſimulanda, vel digerenda vigorem animi ingentibus parem negotijs Regina prodidit. Eodem actionum tenore, vultu conſtanti, immota voce, maieſtate cōpoſita, imperij ęquabilitate, cautos, & tunc tēporis circūſpectos, vel leues captantes motus tres omnes ſimul eodem momento in caſſes perduxit.

Detentio Principū (quis crederet?) plures conſolata eſt, quàm contriſtarit. Pariſienſis Populus gaudio exiluit, quod prælucentibus flammis produxit. Funda omnis tandem vicifſe iactabat, & viſa eſt exornare triumphum. Coadiutor, & Dux Boſortius Mazarino iungūtur glutine tamen malè cohęrēti. Omnes Europæ Populi, qui Condęi Principis eximiā cōcelebrauerant virtutem, huic calamitati indoluerunt, recenſentes ipſius caſum inter nobiliora inconſtantis exempla fortunę.

Ruina Principum magnum quoque afflixit Can-

Cancellarium, impensiùs Condæi amicitiæ insertum, quàm sublime illud officium pateretur. Iusso domum suam discedere, sigilla Castronouo traduntur, qui ea quindecim ab hinc annis possederat. Abbas Riueriæ Aurelianensis gratię iacturam fecit, cui Golatius restituitur. Aurelianensis Riueriam cęlauerat de cõsilio detentionis Principum, quod illi ab Aula indicauit exilium. Supremus Principis Minister, vel vni ex grauioribus non admissus arcano ministerij clauum perdidit. Castronouus, & Golatius paulò antea collapsi ex aliorũ casu resurgũt. Propriũ est Aulæ, præcipitiũ vnius secũ multos trahere, & nonnullos in sublime extundere; imò (quod mireris) inibi super ruinas stabiliores moles struuntur.

Cap. II.

Itinera Reginæ Normanniam, Burgundiam, Guiẽnam versùs. Quid amici Principum poſt eorum captiuitatem egerint.

1650

REGINA, animo conuerſo ad vires Principum conuellendas, raptim cum Rege in Normanniam proficiſcitur: Prouinciam Regni elauem, & Pariſiorũm propugnaculum: è qua ſuo depulit aduentu Longauillę Duciſſam, quæ cõmotione Prouinciæ nequicquam tentatâ, in Hollandiam profugit. Totis Normannorũ acclamationibus ſalutatur; omnes Arces, & Ciuitates portas, & corda aduẽtanti aperiunt. Richelium Ducem ſecum Pariſios adducit, & firmiſſimum Portuſgratię munimentum, omni amotâ ſuſpicione, ſibi fidum conſtituit.

Ijs aduerſitatibus exagitati clientes, & amici Principum, nec animos, nec bellum remittebant. Mareſcalcus Turena, & Longauillæ Duciſſa, ex Hollandiâ in Flandriam reuerſa, cum Hiſpanis fœdus percuſſerunt arma contra Galliam vniendi: eamque tandiù bello laceſſendi

cessendi, donec Principes libertatem nanciscerentur, & generalis pax inter duos Reges cõstituta esset. Appendix ista pacis à factiosis in omnibus suis scriptis editis addebatur ad obnubilandam populorum mentem (quibus gratum erat pacis nomen) perinde ac si arma contra Regem suscepta ad illorum commodum dirigerentur. Astnęi Ciuitas fœderis obses Hispanis traditur: Citadellam Turena sibi reseruat. Dux Marsiliacus Pictoniam, & Santoniam excursionibus fatigat. Dux Bullionius, Burdigalâ aditâ, eos Ciues iam ad seditionem flexos in Principum partes inclinat. Vicecomes Tauanes Bellagardã aduersùs Regis mãdata suscipit propugnandam.

Regina ijs omnibus vellicata tumultibus, paucos dies Parisijs commorata, Burgundiam versùs perrexit. Vbi Status Prouinciales conuocans, Vandomi Ducem (cui ea obuenerat Prouincia) & Marescalcum Plesium Pralinum ad Bellagardam obsidendam impellit: quò etiam Rex discedens, structam Exercitus Aciem auidè contemplatus est: cuius præsentia Gubernatorem, & præsidiarios iussit in sui fidem venire.

Hac prouinciâ cõfectâ, ad magis arduam, & remotiorem prospiciebat Regina; Burdigalę nimirùm tumultus infringere. Hæc Ciuitas apertè rebellauerat: Bullionio inibi fata-

gente, ne popularis ſeditio aliquando conſeneſceret. Hic Locumtenentem Condæi Principis ſe dixerat, oſtentabatq; Anguinium Ducem Filiũ, & Matrem illuc appulſam; vt Principis calamitas in Filio, & Vxore expreſſa acriùs eam Ciuitatem illi amicam, & cõiunctam pũgeret. Regina vniuerſam Guiennę Prouinciã pacatam offendit, obedientiæ, & ſubmiſſionibus pronam. Vna Burdigala, caput erigens refractarium, propalabat, ſe Regem intra mœnia admiſſuram non eſſe, niſi armis, & Cardinale Mazarino ſpoliatum. Sed, cùm primùm cępit Rex aduersùs illam Aciem ſtruere, & arma inferre, paulatim arrogantia reſedit; ita vt Ducis Aurelianenſis protectione ad veniam obtinendam indiguerit.

Cardinalis Mazarinus hortabatur Regem, vt hanc gentem ceruicoſam contunderet ſano admodum conſilio. Sed teterrima Funditorum Pariſienſium Capita (qui verebantur hos Burdigalenſes ſocios in perpetuum amittere, ſi ſeuero iugo ſubmitterentur: cupiebantque eos ſibi integros reſeruare ad futuros tumultus) ſubdolè Ducis Aurelianenſis protectionẽ ijs comparant, qui ad Regem mitteret, præſentia tempora clementiam, non iuſtitiam, & ſeueritatem ſibi deposcere. Quæ propoſitio, ſæpius à Duce repetita, Regiam mentem expugnauit. Rex Burdigalam ingreſſus, nec exilio aliquem ex contuma-

macioribus mulctauit: nec Castrum, aut Citadellã extruxit, quę sæpiùs rebellãtes frænarẽt, & expeditũ armis suis aditũ in Vrbẽ facerẽt. Quare discedens reliquit Ciuitatem in pręsẽs sedatã: in futurum ad tumultus liberè respicientem, si occasio daretur. Cardinalis Mazarinus hanc pacem execratus [etiamsi deinde ad Aurelianensis votum omnia fuissent composita] attamen visus est apud Ducem offendisse. Per ea tempora, quibus rerum moles in vna Aurelianensis Ducis voluntate vertebatur, meliùs forsitan erat ipsius consilium secundare: imò extollere, quàm vel detestari, vel repugnare.

Cap. III.

Dum Regina in Guienna degebat, varias tetenderunt insidias Funditores, vt Populum seducerent.

1650.

EFFOCATA Condæi Principis potentiâ, & ipsius Ducibus eliminatis, Parisiensia ingenia peruicaciùs agebant. Parlamentarij malè quidem in Mazarinum animati, sed timore acriùs impulsi, studium omne impendebant, vt ipsum amolirentur Regno, dum Regis tutela

illis multa indulgebat, quæ impunè, Rege maiori, non admitterentur. Reuoluentes animo iacturas Regi illatas: Mazarinum iniurijs, & diris ferè prosciſſum, meritas illinc pœnas, hinc Miniſtri odium extimeſcebant. Regis iter in Guiennam eos turbauerat; qui noluiſſent Burdigalenſes criminibus ſibi permixtos mulctari, amicorum iacturas, & multò magis in pari flagitio formidantes exemplum. Ideò vulgauerant, Mazarinum illuc progredi, non ad Ciuitatem pacandam, ſed ad ſatisfaciendum libidinibus animi in vindictam proni; & tandiù hæc ſua cogitata diffamauerant, vt etiam Aurelianenſis, qui huic itineri ingratijs aſſenſerat, in eorum ſententiam propè conceſſerit: quod deinde Mazarino plurimùm nocuit. Hi multoties Populum ſubornauerant, vt, Parlamento conſulente, Mazarini miniſterio obſtrepens, illius expulſionem ſeditiosè flagitaret. Aliquando etiã conſultum fuit Parlamentum, an pro remotione Cardinalis ſupplicandum Regi eſſet. Quæ cùm ad votum non cederent, tandem dolosum, & ridiculum inuentum ediderunt.

Ad viarum angulos editum ſcriptum affigunt, quo à Mareſcalco Turena docebãtur Pariſiẽſes, Archiducem pacis cupidum eam vltrò Galliæ offerre. Caueren t, ne illis amplius Mazarinus imponeret, Hiſpanorum voluntatẽ fruſtrando, & Galliæ commodis [dum ſuis ſtudebat] ad

gra-

grauem, & communem perniciem illudendo: Istius absentiam in extremis Galliæ finibus degentis commodam exhibere opportunitatem pacis concludendæ. Archiducem literas ad Aurelianensem dedisse, quibus compendiarium pacis consequendę modum inseruerat. Interim ipsos hortabatur, vt Aurelianensem, & Parlamentum vrgerent, ne vtilis occasio negligenter è manibus excideret: decreuisse enim Archiducem tàm iustæ oblationis inficiationem incendijs, rapinis, & populationibus vindicare; quòd sciret hæc paulò post secutura esse: cum Exercitus Hispanorum in procinctu inuadendi staret. Sub eosdem dies Aurelianensi redditæ sunt Archiducis literę, quem non fefellit Turenæ astus, seditionem aliquam popularē, non pacem meditantis.

Irridebat Turena Parisiensium leuitatem, qui, quò propriùs inuestigabant tumultibus pacem, eam tantò longiùs à se remouebant. Belliger, & astutus Vir concordiam proponebat, vt bello materiam compararet. Aurelianensis recitat literas Parlamento, ac Ciuitati: & illicò, ne popularem subeat inuidiam, Legatos exornat: precatur nempè Pontificis, & Venetiarum Nuncios iam pacis tractandæ arbitros designatos, vt pro bono publico hanc operam impendant, quibus Auoxium, peritissimum Ministrum, adiungit. Hi Parisijs Flandriam versùs digressi, mittunt

tunt ad Archiducem, vt conueniat de loco, in quo auſpicari tractatio poſſit. Sed Archidux, Exercitu coacto, à iocis ad ſeria faceſſiuerat; expilans Regionem, & diuerſa Picardiæ, ac Cāpaniæ loca occupans. Vnde ſequeſtri pro pacis mentione belli graſſationes ad Vrbem retulerunt.

Cap. IV.

Acta in Campania, & Picardia. Monſonium expugnatur ab Hiſpanis. Turena profligatur à Gallis cum receptione Retelli.

1650

TOT ſubmotis publicæ tranquillitatis impedimentis, Burgundia, Normannia, Guienna pacatis; vbi aut dexteritas, aut auctoritas ad ſeditiones cohibendas non valuit: armis illatis audaciâ tumultuantium repreſſâ, Pariſios, exeunte anno, redijt Regina: ampliorib⁹ Regni partibus peragratis, integriſque dilabentibus Prouincijs reductis. Quibus profectionibus conſolidatis Galliæ viſceribus, externa laborabant. Marcſcallus, Seneterra, Oquincurtius, & Herlacus diligenter Turenæ motus captabant, nec non etiam eos præuertebāt; illum-

illumque ab obsidione Monsonij cum aliqua clade reiecerant. Turena, postquam vidit, nullam sibi ex solertia istorum Ducum ad benè agendum copiam dari, Archiduci se iungit, vt quod calliditate non poterat, apertis viribus impetraret. Vnà iuncti Guisiam, Picardiæ Ciuitatem, circumueniunt, quam egregiè propugnatam deserunt: deuastatis vicis omnibus circa eam adiacentibus. Improsperus Guisiæ exitus Turenam docuit, vires sibi firmas non esse aduersùs præcipuas Arces. Quare inferiores statuit aggrediendas. Capellam, Castelletum, Retellum, & Monsonium longâ, ac memorabili obsidione ad Hispanorum manus perducit.

Cardinalis Mazarinus (qui etiam desiderabat se subtrahere à varijs Funditorum machinationibus, quæ Parisijs continenter contra ipsum adornabantur) ad Exercitum discedit; iniungitque Marescalco Plesis Pralino, vt Retellum cingat. Quod Castrum, summoperè infestum Cãpaniæ, multa loca imparata, & Castella sub iugum mittebat. Plesis, Oquincurtius, & Villaquerius Retellum tantâ animi destinatione aggrediuntur, frequenti bombardarum ictu lacessunt, vt quartâ die suum fecerint. Turena, qui cum Exercitu in subsidium obsessorũ peruenire maturabat, admonitus, Vrbem deditionem pactam esse, receptui cecinit, ne vlteriùs pergens; Vrbe iam deditâ, prælij discrimen incurreret.

Plesis

Plesis, Oppido recepto, Turenam pedem referentem insequitur, adeptumque terga vertere & pede collato acie coegit decernere. Pugnatũ est cum incredibili Ducum pertinacia, paribus, viribus, & pari virtute. Tandem Plesis victoriæ compos fit, licet graui suorum iacturâ. Turena præter spem euasit, Exercitu consumpto. Gamarra Hispanorum Generalis capitur. Aestate eiusdem anni Marchio Seneterræ Gubernator Lotharingię adeò malè exceperat Comitem Ligneuillæ Ducis Caroli Prefectum, qui Lotharingiam intrauerat, vt vix cũm pauca manu se proripuerit.

Cap. V.

Causæ, quæ amicitiam inter Mazarinum, & Gondium præciderunt. Quo in statu res Principum carceratorum essent.

1650.

DVM Cardinalis in Campania triumphos agebat, Parisij graues in ipsum moles architectabantur. Illic inimicos profligauerat: hìc bellum resurgebat; & vnde minùs timebat, irrepebat calamitas. Originem. & seriem rerum compendiosè exponam, quantum cognitio illa

illa, quæ ad creperam lucem emersit, pati potest.

Assenserat Gondius Principum detentioni, impulsus quidem ab inimicitia, quę sibi cũ illis intercedebat; sed multò magis, vt Reginam promereretur, & Mazarinum hoc sibi obstringeret beneficio, qui Reginam à summo Pontifice Cardinalitiam dignitatem illi exoraturam esse promiserat. Nec dubitabat Mazarinum fidei defuturum esse; imò potiùs hos honores quàm citò promoturum sperabat, vt hominem apud Parlamentum, & Populum potentem de se beneme-ritum haberet, qui, si repulsus secum inimicitias refeciisset, summam illi infligere perniciem valuisset. Hanc adipisci dignitatem maturabat, antequam Rex maior fieret; ambigens, ne in maiori Regis ętate promissa vanescerent. Tunc enim Mazarinus ipso validior amicitiam suam tanti non feciisset, vt purpuram illi tribueret.

Mazarinus è contra, qui Gondij genium formidabat, & dubitabat, ne Cardinalitiam adeptus dignitatem (quæ consueuit in Gallia gradum facere ad dignationem primi Ministri) ad istam postea amplitudinem eniteretur, (potissimùm, cùm in Gondio multus ad hoc munus exercendum vigor suppeteret) prorogando dies, ipsius destinata fallebat: modò tempus inopportunũ, modò itinera, modò rerũ molẽ excusans, perastinabat, donec minor Regis ætas eximeretur

Gondius, promissorum impatientiâ exagitatus

tus, Ceuuruſæ Duciſſam, quæ conciliatrix inter ipſum, & Mazarinum fuerat, rogat, vt Cardinalem obteſtetur ſtare promiſſis; vel ſaltem decretorium ſibi afferat reſponſum: nolle ſe hac rerum ambiguitate diutiùs excruciari. Duciſſa adeò Cardinalem preſſit, vt poſt multas tergiuerſationes, quas ipſa pro reſponſo non accipiebat, arcanam tandem vocem emiſerit, ſe nunquam hanc Gondij exaltationem promoturum: ſi credibile eſt à Cardinale reſponſum adeò liberum immaturo tempore vſurpatum eſſe, quod amicitiam direptum ibat, quæ quieti publicę, & ſibi commodum præſtabat.

Inter hæc Condæi mater libellum ſupplex Parlamento porrigi curauerat, quo à Condęo, Contio, & Longauilla ipſum rogabatur Parlamentum eorum infortunij miſereretur, & in æquitatem cauſæ reſpiceret; cùm iam vltrà annuum terminum inſontes, & Sanguinis Principes in carcere detinerentur. Populus, Nobilitas, Proceres pro Principum libertate dies, noctesque intercedebant.

Multi quidem in Principum liberationem insudabant perducti, vt gratum ijs præſtarent opus; ſed maior pars officioſam diligentiam Mazarini odio, non Principum amori impendebat; quòd certò duceret Mazarini expulſionē à Principum libertate denunciari. Felices in hoc fuerunt Principes, quòd hominem populo odioſū ad-

aduersum haberent, cuius vt perniciem maturarent Parisienses, eos libertate donarunt. Mortalium animus multò impensiùs accenditur odio ad nocendū, quàm vt ad iuuandum amore ducatur.

Gondius res Mazarini pessū euntes manutenebat: at postquā ab altissimā spe deiectus, despectum se, illusumque questus est, humeros à ruenti mole deduxit. Omnes auctores, qui vsque dum scribendis historijs vacarunt, huius machinæ, quę Mazarinum oppressit, aut constructorem Gondium, aut destructorem efficiunt. Nihilominus non video quotam partem in hac ducenda fabula habuerit, cùm vel sine ipsius impulsu iam propenderet ruina.

Fundæ Principes, tantum aberat, quòd vrgendi ad defectionem essent; vt potiùs ab his Gondius incessanter solicitaretur. Bofortius (quamuis Mazarino deuinctus ob maris præfecturam, quam illi post Patris decessum Regina decreuerat) nihilominus vltrò ad veteres simultates recurrerat & palàm in Principum detentionem inuehebatur. Parlamentarios vrebat timor, ne Mazarini administratio, Rege extra pubertatem posito, prorogaretur; suspicantes tot illatarum iniuriarum vltionem. Vnius Aurelianensis respectus impediebat Senatum super Principum libertate decernere. Sciebant illius consilio Principes in carcere detineri; ideò non poterant in

hanc

hanc cauſam benignè introſpicere, niſi in eum peccare vellent.

Gondij ſuggeſtione ad inimicitias cum Mazarino Ducem veniſſe hinc plurimi deducunt, quòd ad illius aures familiarem haberet acceſſum, nec non ipſius conſilium ab Aurelianenſe magni duceretur. Ad id autem temporis exulceratum eſſe à Mazarini operationibus Aurelianenſis animum apparet in querelis, quas ipſe detulit ad Parlamentum. Ea enim adduxit, quæ ſibimet acciderant, non quę ab alijs vel indita, vel ſubornata eſſent; ità vt viſus ſit Gondius, poſtquam à Mazarino nominationis ad Cardinalatum repulſam accepit, conſtituta Ducis non tardare potiùs, quàm illis, vel nouum ſuppeditare fomitem, vel impulſum dare.

✠

Cap.

Cap. VI.

Quibus artibus Parlamentarij vsi sint ad incõcilian-dum Aurelianensem Mazarino.

1651.

AVRELIANENSIS omnibus penè Funditoribus copiã sui perhumaniter faciebat. Porrò domi seruitutis ordinarię Ministri Mazarinum assiduò carpebãt, & Heri animum narrationibus parùm gratis identidem asperabant. Prętер dictam facilitatem omnes audiendi, & omnibus gratificandi inerat Aurelianensi quidam insitus genius fidem præstandi siniſtris potiùs, quàm secundis, & odiosis, quàm gratis. Cardinalis sæpè illũ monuerat, & etiam preces addiderat, ne Parlamentarios ad familiaritatem admitteret. Pręsagiebat enim indulgentissimo viro ex illorum assuetudine tãdem venenum irrepturũ esse; sed exorare nó potuit: imò Dux, cùm varijs de causis (quę inferiùs inscribuntur) cœpisset à Mazarino dissentire, in eorum familiaritate sibi placebat, & Mazarini detractores in domesticum recipiebat colloquiũ, ijsque oblectabatur. Vnde Funditores, hac Ducis propensione subodoratâ, ipsius humeris machinas

ſuas inædificare ſtatuerunt : & verè per illam tempeſtatē iſti ſatis validi erant ad ſuſtinendum.

Quibus tamen artibus vſi ſint ad labentē amicitiam proſternendam, non benè comperitur. Vulgatum tunc eſt ab ijs Duci relatū eſſe, Cardinalem diffamaſſe Principum detentionis eum promotorē fuiſſe, & potiſſimū ab ipſius cōſilio promanaſſe; ad quod dictum Ducem vehementer in Cardinalem excanduiſſe. Quæ eadem cū vel verè, vel fictè à multis nunciarētur, per tot repetitos iræ feruores odium Aurelianenſis mēti ſenſim inductum varijs poſtea de cauſis altiùs deſcendit.

Iis addiderunt ſe illius miſereri, qui iam penè nullus eſſet : Vno duntaxat titulo Locumtenentis Regni, & armorum ſuperſtite inani, & vacuo; cum Cardinalis militaria ex ſe vno munia diſpenſans, Politices, & armorūm ſibi dominium arrogaret. Pignus neceſſitatis, non exiſtimationis, & beneuolentię hanc eſſe obſequij ſpeciem, quę adhuc ei, minore Rege, ſeruaretur. Cęterùm in confirmata Mazarini tātùm nunc pręſumentis dominatione illum non vſui, ſed contemptui, & nocumento amicis futurum. Verè poſt victoriam Retellēſem Cardinalis Potentia eò gliſcebat, vt auctoritatē Ducis quodāmodo premeret, aut certè opacaret.

Demum concludunt Parlamentum, & Populum in Principum libertatem, ac Mazarini relegationem

gationē cōspirare. Si ille velit hunc protectione sua inūbrare, illuc ipsū reciſurū esse; vt amicitia Parlamenti, Populi, ac tot Principū dispoliatus, lusus artium Mazarini euadat sine cliētibus, & auctoritate ad Ministri superbi nutum circumactus, destitutus, despectus, illusus. Autumant multi nullum verbū intimiùs penetrasse Ducem, & à Mazarino retraxisse, quàm illud imminutę potentię.

Aurelianensis, postquam Principes in carcerem coniecti fuerant, Filium virilis sexus sustulerat, quo naturæ beneficio ad id temporis carebat. Hinc facilè à me impetro, vt credam domesticos paruulum illi obiectauisse filium: ne scilicet eum vellet tot inimicorum hęredem inscribere; teneram ætatem obnoxiam iniurijs amicorū multitudine vallaret; Prouincias quęreret; pecunias cogeret; opes suas stabiliret. Verè post exortum filij Dux nihil pensi habuit Regias opes præcidere, vt suas amplificaret. Deinde postquam, grassante bello ciuili, filium extulit, suam, & communem causam deserens, visus est plus vacauisse dolori, & fletibus filij demortui, quàm negotijs bellorum.

Vtcunque sit, Cardinalem Mazarinum in hac Ducis reuolutione non omnes culpa volunt absoluere, argumentum mutuātes ex oratione à Duce habitâ aduersùs eundem Cardinalem apud Parlamentum; In qua Aurelianensis con-

queſtus eſt in omnibus conſilijs Cardinalem ſuis ſemper ſententijs aduersũ, & contradicentem offendiſſe: Quod vt clariùs eluceat, querelas à Duce emiſſas breuiter exarabimus.

Cap. VII.

Aurelianẽſis cum Parlamento conqueritur, quod Mazarinus ſuam non probauerit ſententiam, quæ concludebat Duci Epernonio Guiennæ Gubernationem abrogandam eſſe.

1651.

DVX Aurelianenſis in conſilio ſecreto Regis tumultus Burdigalenſes ruminãte opinatus eſt, Burdigalenſium poſtulata omninò refutanda non eſſe; ſed ijs alterius electionem Gubernatoris concedendam. Ducẽ Epernoniũ vel nimis aſperum, vel longo & Patris, & ipſius regimine inuiſum Burdigalenſes oderant. Diuturnæ moderationes magis ſtomachum, & moleſtiã commouent, quàm benenolentiam adſciſcant: vel ita ferente hominũ ingenio, vt etiam grata ſæpiùs ingeſta nouiſſimè diſpliceant: vel Gubernatorum conditio talis ſit, vt conferendo vnis gratias, alijs euadant ingrati; cum repulſi tenaciùs iniurię cuſtodiant

ſtodiant imaginem, quàm admiſſi acceptum recordentur beneficium. Licet Galliarum Prouinciæ perpetuis aſſuetę Gubernatoribus aduersùs longas eorum dominationes minùs ſtomachoſæ eſſe debeant; veruntamen Burdigalenſis Ciuitas editos tumultus, & ſeditiones ad malam Epernonij adminiſtrationem referebat, quæ licet æqua fuiſſet, videbatur Aurelianenſi bellum, quod poterat Gubernatoris mutatione ſedari, periculoſis armis protrahendum non eſſe: quæ etiamſi viciſſent, luctuoſa ſemper extabat victoria, plures Regi iacturas, multa Galliarum hoſtibus conferens emolumenta.

Cùm Principes iam incluſi carceribus eſſent, eadem Duci ſedit opinio: imò totis viribus impugnauit iter, quod Regina in Aquitaniam expediebat; aſtruebatq; meliores copias è Flandria educi, quarum defectus Picardiam, & Cãpaniam hoſtium inuaſionibus prodebat, cò periculoſioribus, quò Hiſpanis comites hærebãt milites, & Duces Condęi, qui locorum periti, & amicitia preſidiariorum inſtructi aliquam grauem cladem potuiſſent infligere; concludebatq; melius eſſe conſolari Populos in petitione alterius Gubernatoris, quàm armorum proſecutione eos ad deſperationem impingere.

Profectò videbatur Dux ſaluberrimum conſilium dare, quod ne acceptum eſſet, non pau-

ca intercedebant. In primis verendum erat, ne, dum vni vulneri adhiberentur remedia, grauius infligeretur.

In Gallia Ciuitatum, & Prouinciarum Gubernationes pecuniâ redimuntur adeò constanter, vt partem paternæ conflent hæreditatis, & ad filios non secùs, ac alia bona transeant: Idcircò non possunt ab his extorqueri, qui eas semel possederint, nisi iniuriosè, aut soluto pretio, quo oppigneratæ sunt. Hinc fit, vt non semper copia sit ipsi Regi remunerãdi deseruiẽtium merita Prçfecturarũ retributionibus: quia ab occupatis non licet possessores amoliri, nisi restitutâ pecuniâ. Quę restitutio suos etiam sentit labores, prçcipuè, si vir eximius Gubernatione spoliãdus sit; vt tunc erãt Duces Epernonij penè à Sæculo administrationi Guiennę innati, diuitijs, & amicorum globo præpotentes. Fçdè etiam lacerabat Auctoritatem Regiam subditorum libidini submittere honorem, & decus Gubernatoris probatæ fidei, qui forsan, vt suo Regi accuratè deseruiret, in odium Ciuitatis offenderat.

Principis Condæi desiderium in Aquitaniam se inferendi, & Burdigalæ constituendi potentiam suam, obstitit Reginæ, quominus ex illa Prouincia Epernonium extraheret: timenti, ne Condæi petitionibus locum faceret, cuius auspicijs seditiones illæ ferebantur inauguratæ, &

hunc

hunc vnum expetere Gubernatorem, vt ferocirent sub Duce ad gentis genium facto. Nec, postquam Principes in custodiam traditi sunt, hoc discrimen vanuerat: quin imò grauius impendebat. Dux enim Bullionius, vxor, & filius Condęi illam rebellionis sedem occuparant [quam Condęus liber sibi destinauerat) ex Hispania, & Anglia implorantes auxilia; quæ si semel in illa munita Ciuitate nidulata essent, non nisi immensis viribus exigi potuissent. Quare decreuit Regina nutantẽ rebellionẽ, antequã confirmaretur, supprimere: quæ tunc adeò altè radicata, nec remotione Gubernatoris, nec veniæ ꝓmissis refigi potuisset: namq; Legatos à Parlamẽto Parisiẽsi Burdigalã missos malè exceperãt, & sine vlla obediẽtię spe remiserãt. Negotiũ igitur desperandum tractari armis debebat.

Cap. IIX.

Secunda Ducis querela aduersus Mazarinum sua aspernantem consilia, & sincerè secum non agentem.

1651.

VLTERIVS Aurelianēsis questus est apud Parlamentum, quòd pacem, quæ Burdigalæ constituta erat suo potissimùm cōsilio Cardinalis abominatus esset: asserens detestabilibus conditionibus felicitates Regias ab eo interuersas esse. Porrò in egressu Burdigalæ Cardinalem cum vxore Condæi, Duce Bullionio, & Rupifocaldio longos conseruisse sermones, quid secum egerit, cum Parisios reuersus esset, suspicioso pressisse silentio.

Hac in parte potuisset forsan Cardinalis cautiùs agere, & cū pax Burdigalensis ad votū Ducis irrogaretur, etiam querimonias omittere, nec Ducis consiliū, quod probabatur, damnare. Pax semper laudabilis est. Ea, quæ fit inter Principem, & subditum, magis commendatur, cùm minùs cruenta. Nihil impensiùs vexabat Ducem, quàm sua consilia vanescere. Æquè amant

amant mortales propria consilia, ac filios; Partus enim mentis hæc sunt. Idcò dolent cõsiliorum suorum casu, perinde ac filiorum morte cruciantur: eò magis, cùm viri multę auctoritatis sunt, eorum consilia non recipi diminutio auctoritatis est.

Deinde, vel Cardinalis non debebat cũ vxore Condæi speciem familiaris inire colloquij aliquid arcani pręseferentẽ, vel liberè Aurelianensi acta promere; cuius animus, similibus negotiationibus suspensus, in Funditorum fortasse sententiã facilius lapsus est, qui eum monuerant de Mazarino, Principum custodiam illi adscribente, palamque vulgãte ab ipsius mente, & consilio detentionem illam emanasse; imò ipsius iussu executioni mandatam esse. Dux haud difficilè hoc hamo capitur, iam suspicans talem excusationem Vxori Condæi à Cardinale adductam fuisse: nimirùm insontem se à Principũ extàre captura, totumq; inuidiæ põdus in ipsum deuoluisse. Per has rimas Parlamentariorum artes penetrarũt: sensimque plagam dilatantes insanabile vulnus fecerunt.

Vltimò Aurelianensis iratus est Cardinali, quòd Angliæ Parlamento Parisiẽse exequauerit Parlamentum: fatusque esset æquabiliter in suum Regem Parlamentum cõspirare Parisiense, ac illud Angliæ. Iam Dux Cardinali infensus voluit hanc plausibilem causam ad dirimendam

ami-

amicitiam arripere; vt Parlamento gratificaretur. Cęterùm Cardinalis saltem verisimilia loquebatur.

Erant tamen omnes istæ causæ perinde leues (quamuis veræ fuissent, & non falsò dissipatæ) vt præceps Ducis consilium excusare nequirent. Intelligebat ipse, in quod discrimen Regnum adduceretur expulsione Cardinalis; ita vt ad diuinam referatur omnipotentiam rursum coaluisse in tot partes discerptum. Attamen, nescio quo Galliarum fato, ad hoc opus tanto se feruore accinxit, vt, qui in omnibus alijs hęrebat, in hoc vrgendo pertinacissimam ostentauerit soliditatem. Lęti Parlamentarij omne ius à Ducis voluntate sibi permitti, causam Principum ad se auocãt: quorũ lectis supplicationibus decernũt supra eorũ liberatione Reginam rogandã esse. Reginæ prudentia hanc procellã varijs procrastinationibus leniebat, & etiam penitùs tranquillasset; nisi Aurelianensis, mendicata occasione in Cardinalem inuehendi, negotium in præceps dedisset.

Cap.

IX.

Tertia Ducis in Mazarinum querela, quæ ad Parlamentum delata rem in præceps dedit. Cardinalis ab Vrbe migratio.

1651.

ACCIDIT in familiari colloquio Cardinalem coram Regina cum Duce Aurelianense quęstum esse de operationibus Parlamẽti in Regiæ Auctoritatis perniciem tendentibus: dicentem suos etiam hoc Palamentum habere Cromuelos, & Farfaxios, qui non secùs, ac illi Angliæ in Regẽ molirentur. Velle primos conatus in se perdendo experiri (sicut Parlamentum Angliæ ab interitu Proregis Hibernię sua facinora auspicatum erat); qui si feliciter succederent, Regem deinde adorirentur. Æquissimam querelam Dux opportunam sibi fecit occasionem Cardinalem criminandi: quòd Parlamentum apud Reginã rebellionis postulatisset: quod prauis consilijs, & in multorũ calamitatem collineantibus Regis pueritiam educaret.

Videtur præter supradictas causas alia recentissima interuenisse, vel vera, vel à Funditoribus

bus ad veri ſpeciem compoſita; vt inter Cardinalem, & Ducem, quæ ſupererat vnionis ſpes, penitùs diſſolueretur. Cõuenerat cũ Regina de Principum liberatione, quæ cùm vltra conſtitutum tempus prorogaretur, dicitur ſuboluiſſe Aurelianenſi, à Cardinale interea Principum voluntatem examinari, & negotium liberationis ita digeri, vt Condæus eam totam non alij, quàm ipſi Mazarino ſe debere intelligeret. Aurelianenſis (qui meliorem iſtius operis partem ſibi vindicabat, & ſtudium ſuum intendebat, vt Condæus hanc illi gratiam totam referret acceptam, & præſenti beneficio omnis præteritæ iniuriæ extingueretur memoria) erga Cardinalem implacabiliter æſtuans, Principum libertati illius expulſionem inſerere conatus eſt, vt gratiam apud ipſos amplificaret; cũ eodẽ tempore vltionem inimici eorum libertati adiungeret.

Ideò quarta Februarij ad Parlamentum Coadiutorem mittit, qui nunciaret, quid ſibi cum Mazarino acciderit; deinde poſterâ die accedens ipſe exponit Populum, Nobilitatem, omneſque Parlamentarios Farfaxij, & Cromueli nomine à Mazarino (à ſe tamen grauiter obiurgato) corã Rege donatos eſſe.

Hæ querimoniæ à Duce delatæ mentes Parlamentariorum [vel ſine cauſa Cardinalem abominantes) hac vna, quam æquiſſimam iudicabant, oblata, ad execrabile illius odium adeò ef-

fe-

ferarunt, vt extemplò Principum libertatem, & Cardinalis expulſionem ſtatuerint. Nobilitas quoque ſua excitauit conuenticula, vt infamiam à Mazarino ſibi illatam vlciſceretur. Populus ad arma procliuis eueſtigiò ad ea reſpexit.

Non defuerunt multi belli Duces, qui ſe obtulerunt Cardinali, & hortationibus titillarunt, vt cauſam ſuam armis tueretur. Aſtruentes licere cõtra Parlamẽti vim vim opponere: violari in ipſius exilio à Parlamento Auctoritatem Regiam, & ſui innocentiam in recta adminiſtratione tot ãnos probatam: Parlamenti deliberationem non modò irritam eſſe nulla apparenti causâ cohoneſtatam, ſed violentam, & punitione dignã, potiùs à tumultu, quàm à legibus promulgatam. Sedit tamen Reginę ſeruire tempori, & ſæuienti fortunæ animum ſubmittere, quàm Regem in maiora diſcrimina adducere: Sanciente Senatu, ſæuiente Nobilitate, ferociente Populo, omnibus ad vindicandam ignominiam perduellionis à Cardinale ſibi inuſtam anhelantibus.

Quanta

bus obstiterunt, verentes, ne humanitas Reginæ, vel auctoritas animum Ducis flexibilem inclinaret.

Cardinalis Aulâ discedens Portumgratiæ primùm adijt ad inuisendos Principes illic inclusos, & illis decretæ libertatis nuncium primus dedit; expositque seriem eorum, quæ in ipsorũ detentione acta erant, vt se purgaret, neque deinde æmuli omni illum onerarent inuidiâ. Fertur Condæum sinceram illi spopõdisse amicitiã. Quibus tamen promissis in carcere præstitis stare non tenebatur. Hinc discedens Sedanum, mox Coloniã appulit. Opportuniorem sedem optare non poterat ad colligendum militem, ad Galliam retentandam, ad nuncios excipiendos, ad amicitias tùm intra Regnũ, tùm extra colẽdas. Nam pro certo ducebat post Principum libertatem talem suboriendam esse confusionem in Galliâ; vt multi, qui tũc suum vrgerent exilium, redeuntem tanquam Regni liberatorem desideraturi, & excepturi essent.

A Cardinalis discessu Regina Mercatorum Præposito, & Ministris Ciuitatis ad se accersitis imperauit; vt portas custodirent, & ciuiliorem militiã ad hoc munus conuocarent; infimâ turbâ tumultuanti sepositâ. Iussus iste fuit necessarius. Prudẽter Regina Ciues præoccupauit, excubias ijs imperãdo, ne ab impositis excubijs insscia præoccuparetur. Sategit hãc afflicti speciẽ im-

imperij retinere. Fama quippè de consilio Regis rapiendi à seditiosis disseminata armauerat Ciuitatem, hoc vnum agitantem; ne Regis raptores elaberentur. Imò, cùm vulgaretur illum iam euasisse, oportuit Regem exclamanti, & frẽdenti multitudini se ostendere. Quare populus in ea, quę à Regina iubebantur, pronus, vltrà quod imperabatur, executus est: portas obstruens, aditus insidens, in omnes præterlabentes currus, extraordinariâ inquirens sollicitudine, Regem, & Reginam non modò auctoritate, sed penè libertate dispoliat.

Liberationem quoque Principum subsignauit Regina. Cardinalis eã precatus erat, vt aliquã morã huic subscriptioni interponeret. Sed tot obsessa tumultibus censuit non proferre diem; ne tarditate subscriptionis se nimis aduersantẽ huic liberationi traduceret, quę tandem deflecti nequibat. Marescalcus Gramuntius faustissimi nuncij expositor, tantâ velocitate per dispositos equos Portumgratiæ decurrit, vt Cardinalem illinc discedentem adhuc offenderit.

Cap-

Cap. XI.

Principum aduentus. Reginæ prudentia in moderãdis per hanc moleſtiſſimam procellam rebus.

1651.

PRINCIPES ab arce Portuſgratiæ, videlicet à carcere ad libertatem Pariſios verſùs erumpentes refricant mihi memoriam Æolię, vbi venti carcerem indignantes, circũ clauſtra fremunt: mox qua data porta ruunt, & terras turbine perflant. Carceris memoria eò magis acuebat iram, & excitabat furores, quò indignior, ac iniuſtior ijs videbatur. Neque ſolûm ipſi hoc ſentiebant, ſed Parlamentum, & tota Gallia idem teſtabatur: vnde bilis acrior, & ardentius vltionis deſiderium.

Numeroſo amicorum comitatu Pariſios inuehuntur de Regia triumphantes Auctoritate, è carceribus Parlamenti decreto ſoluti: Miniſtro quoque, vel ipſâ repugnante Reginâ, depulſo. Veruntamen modeſtè vtuntur victoriâ; illam libentiùs premunt, quàm venditent; ſatis equidem nota, & vulgata erat, quàm vt produci opus eſſet. Regi, & Reginæ ſe ſiſtunt, grates pro

libertate referentes. Videbantur indignatio, & odium in Mazarinum decumbentia extra Regni limites inſecuta ipſum eſſe. Illud tamen à Principibus reddebatur obſequium, quod Mazarini reditum etiam vi poſſet excludere. A Rege illa prodibat gratia, quę ipſius Auctoritatem à nullo pateretur circumſcribi. Vnde, cùm illinc aliqui quęrerentur dari limites, hinc, vel exigua modificatio nimis grauaret, infida omnis apparebat recõciliatio: dum vtrique ita ſe munire tacitè contenderent, vt vni à ſupremo nihil timere, alter ſine conditione vellet ſubditis imperare.

Hìc prudẽtia, & æquitas adminiſtrationis Reginę intenſiſſimè elucet: nam maiorem præteritorum partem arrogabant ſibi Cardinalis, conſilia: at nunc ſe vnam contra agmen tot Principum, & Parlamẽti nec mens, nec animus deſtituit: partim dando, partim differendo, partim refutando ſe Regem, & Regnum ab euidẽti ruina ſubduxit.

Regina in publica, & priuata calamitate ſuæ, & communi cauſæ viriliter aſtitit. Multos Principes, Mareſcallos, omnesque belli Duces vel prẹmijs, vel promiſſis, vel Maieſtatis reuerentiâ ſibi mancipauit. Mareſcalli ab Aurelianenſe identidẽ accerſiti iubebãtur ſuis imperatis prẹſtò eſſe, cauſante eorum exigere munus à ſe armorum Locumtenẽte haurire mandata, & militares

tares functiones ad sui voluntatem iustruere. Hi Ducis vocibus reuerẽter perceptis Reginæ iussa sine cunctatione exequebantur; cuius auctoritas Aurelianensis facultatem longè præcellebat, & propinquus Regis à minori ętate exortus huic occasum indicabat. Parlamentum hanc labentem Aurelianensis auctoritatem fulcire decretis contendit, sed, præter Populum Parisiensem tumultuantem, nullus alius obtemperauit.

Consilium quoque prudẽter ordinauit Regina, si fidem omnes seruauissẽt. Inscio Aurelianense gratiam Chauinio, & sedem ãtiquâ honestiorem restituit. A Castronouo sigilla repetijt, quæ primo Prędidi Molè aptauit, vt homini iusto, potenti, & de Regia Auctoritate benemerito gratificaretur. Quo dono Parlamentũ quoque, veluti fiduciæ tesserâ suo capiti creditâ, cõprehendi videbatur. Magnum Cancellarium Seguerium post Principum detẽtionem ab Aula, & Ciuitate excluſũ pristinis honoribus decorauit. Hæ mutationes plùs cęteris Aurelianẽsem momorderunt, cuius auctoritas videbatur à Regina prędidi; cùm sine eius astipulatione, imò penitùs imprudente consilium Regium nouis, & illi inuisis hominibus informaretur. Quod, ne præsente quidem Mazarino, Regina tentasset. Funda omnis commota est, præsertim euectione primi Prędidis ad custodiam sigillorum. Æquitas istius hominis magnanimitati coniuncta, poten-

tioribus illius tempestatis Regiam Auctoritatem carpẽtibus assiduè obluctans, quò maiora sumebat auctoritatis incrementa, eò formidolosior, & impẽsiùs molesta ijs euaderet, consonum erat.

Ad hunc molestissimum sonum Aurelianensis domi suę adunat consilium, adhibitis Principibus, & Fundæ Proceribus. Atroces inibi expromuntur sententiæ: vnoquoque ægritudinem animi, non rationem consulente. Proclamabatur armandum Populum, & vi à Magno Pręside sigilla educenda. Sed mite Aurelianensis ingenium violentis deliberationibus ęgrè acquiescebat. Neque forsã ciuilis Populus sustinuisset vim aliquã illi magno homini inferri. Nam vt plurimùm Populi fęx Funditorũ motibus aderat, quã Molè cõsueuerat solo aspectu, voce, & mirâ cõtemptus specie ab audacibus inceptis deterrere. In infimos homines, & petulantes plùs dominatur auctoritas magnæ existimationis viri, quàm eos opposita vis satis coerceat.

Hi tumultus sensim post multas consultationes in quietem decumbebant; cùm erubescerent Principes fœdare nouitatibus reuerentiam Regi debitam; nec vellet Regina illorum animos ab ira residentes vlteriùs asperare. Sigilla à Protopræside, ea vltrò offerente, recuperat, cui poterant intra paucos menses, maiore Rege, solidiore dono, & nemine justè obstrepente, restitui. Hæc Magno Cancellario Seguerio traduntur.

Si-

Sigillorum dispensatione dexterè vsa Regina vnâ liberalitate duos eximios viros obligauit.

Cap. XII.

Guiennæ Præfectura Condæo traditur. Causæ.

1651

TEnaciter Principum astabat animo consilium aditus omnes ad Mazarini reditum occludendi, & quia præuidebant in Reginæ mente omnia perquiri media ad Cardinalem ab immerito exilio reducendum: ipsi quoque nihil præteribant, quod posset hunc accessum, vel iniectis armis, præuertere. Animo igitur reuoluebant exarmare Reginã viribus, & consilio, quod reliquum esset, ad Mazarinum propendente; & comparare sibi earum prouinciarũ administrationem, quę portus, & Ciuitates ad mare obtinentes commercium cum exteris liberum præberent: vt hinc Reginam ab ineundo Mazarini reductionis consilio vel ministri turbarent, vel illatis armis impedirent, vel, si tandem pares esse non possent, ad Galliæ hostes refugium haberent. His cogitatis insistens Condęus Aquitaniæ Præfecturam, partim amicorũ officijs, partim precibus obtinuit; quę prouincia ad tumultus

Inclinata, Hiſpanis finitima, exquiſita ad illius alendas cogitationes acceſſit conditura.

Nulli dubium eſt Reginam ingratijs hanc Condæo gratiam detuliſſe; ſed Burdigalę Parlamentum illum inſtantiſſimè flagitabat pro Gubernatore: Populus cupiebat: Dux Epernonius inuiſus popularibus aliam cooptabat gubernationem, in qua quietiùs degeret: Dux Aurelianenſis ſuffragabatur Condæo, cuius filio Anguinio Duci vnam ex ſuis filijs deſponderat: Chauinius, qui clauum adminiſtrationis tum gubernabat, ſuum calculum illi applicuit: Condæus ſpopondit Reginę, ſe, hac impetrata Prouincia, quieturum: quibus omnibus de cauſis permota Regina dedit illi, quod penè inficiari nequibat: facultatem videlicet Burgundiam in Aquitaniam cum Duce Epernonio cõmutandi; in cuius commutatione Diuionenſe Caſtrũ ſibi reſeruauit Cõdęus, vt Aquitaniâ auctus adhuc Burgundiam oppigneratam haberet.

Præterea, etiamſi varij effunderẽtur rumores de Condæi negotiationibus cum Hiſpanis, Regina nondum cõmonefacta ſperabat hoc expletum munere defecturum non eſſe; pręcipuè, cũ Aquitaniæ Prefectura ad ſe Pariſijs eũ aduocaret. Reputabat maximũ afflictarum rerũ leuamen à Parlamentariorum ſuggeſtionibus Principem amouere, ac Populi Pariſienſis tumultibus ſegregare; qui Burdigalę inquietam offendens

ad-

administrationem, dum illis componendis rebus adijceret animum, forsan se à seditionibus reiecisset, & quieti, ac Regi promerendo vacasset.

Eò magis cùm non desperaretur similibus concessionibus, & beneficijs posse eius animum aduersùs Mazarinum æstuantẽ demulceri; vt istius reditum oppugnaturus ampliùs non esset. Quas omnes propositiones Mazarini reditum comprehendentes pertinacissimè semper Princeps refutauit: asserens in Mazarini prędominantis contubernio nullã sibi securitatem illucescere. Imò adeò inusta erat ipsius menti Mazarinũ excludendi deliberatio, vt crimini non duceret arma in Regios expedire, dummodo hoc vno consilio Mazarinum propulsandi adhiberentur. Licet peccati natura non à solis mentis conceptibus, sed ab operationibus effingatur: nihilominus arbitrabatur Princeps à propriæ salutis propugnatione quodlibet ausum defęcari.

Cap. XIII.

Regina multos Proceres ad se pertrahit. Condæus Parisijs recedit.

1651.

REginæ conceſſionibus Condæi opes adoleuerant, eiuſdem Reginæ dexteritas multos illi amicos, & clientes ſubduxerat. Conuenerat inter Condæum, & Duciſſam Ceuuruſę, vt Contio, fratri Condæi, filia ipſius Ceuuruſæ denuberet: cui promiſſo ſatisfacere recuſauit Condæus; cùm permotus querelis Longauillæ ipſius ſororis, (quæ Ceuuruſam hoc matrimonio ſibi anteponi dolebat) tùm rei familiaris inſtigatus iacturâ, quæ pmagna cõtingebat, ſi Cõtius, inito matrimonio, ſuam bonorũ partem hęreditariam ab illa Condęi ſeduxiſſet. Ceuuruſa ſe deludentem indignata Condæum, vltionem anhelans, affines ſuos, & conſanguineos ab illo in Regias partes diducit: Coadiutorem etiam diuellit.

Ad hunc quãuis Condei libertas plurimũ ſpectaret; nũquã tamẽ potuerunt res ſuæ illis Cõdæi coaleſcere: imò iſta vnio tantis Coadiutoris in Condęũ procurata beneficijs, in apertũ degene-

generauit dissidium. Autumabatur nempe non Principum amore, sed Mazarini odio ductum in eorum liberatione Gondium desudasse, cui non ignorabat exilium Cardinalis appendi.

Gondij destinata vna Regina felicitare poterat; illum nimirum exoratâ à summo Pontifice purpurâ decorare. Veruntamen, cùm ad has gratias sibi conferendas in publica quiete perducere Reginam nequiuerit, postquam aduertit in tanta rerum confusione ope suâ illam indigere, à Condæo ad eam se conuertit, vt præsentibus officijs constabiliret, quod præteritis, rumor erat, corrupisse, & tantundem Reginæ gratiam secundis negotiationibus demereretur, quantum aduersis abalienauerat.

Dux Longauillę quietioris vitæ spe illectus, vxoris consilia, & actiones Condæi detestatus, multique alij Principes à Condæi genio nimis prompto, & aspernante fugati, sincerè se Regis obedientię restituunt: quibus fulcris, dum destitueretur Condæus, innixa Regina auctoritatis robur sensim resumebat. Hęc supra insitam beneuolentiam eam producebat affabilitatem alliciendis animis factam, quę decori Regio pulchrè consociatur. Nonnullos speciosis verbis, alios promissis solidioribus pascebat. Et cũ, dicti tãte prudẽtiâ, ac longo vsu, mẽtes rectas ab obliquis discerneret, inter vtrasque tantâ præcautione meabat, & consilia sua tali moderatione pro-

prodebat, vt prodi non posset. Interea, cùm maior Regis ætas appropinquaret, omnium erant animi in eam diem suspensi, quâ facultas, quæ Principib⁹ deperibat, Reginæ cumulabatur. Vnde multi ex refractarijs ipsius auctoritatem, quę breuì summum vigorẽm nanciscerẽtur, venerabantur. Inter hæc militiæ Parisienses à portarum custodia se abstinebãt, & Rex singulari alacritate venatum petijt, fidelium seruorum animos erigens, infidis, suspectisque depressis.

Condæus hanc Reginæ potentiam cœpit suspectam habere. Vnde Sanctum Morum repentè abscedens diuulgat Aulam deseruisse, quia explorauerat maximam inde procellam contra ipsum excitari. Continuò vulgatum est recentem carceris memoriam, & conscientiæ stimulum discrimen verè non imminens Principis menti offudisse: iustum pauorem ingentem fuisse sollicitudinem: Remotiora pericula impendentia ex propinquo vidisse non sine causa sibi metuentẽ. Condæum apertè insimulare videbatur mora, quam Hispani in Astnęi Ciuitate trahebãt, cum eos nunquam aut bona veniâ dimisisset, aut renitentes armis insectatus esset: quod illi haud difficile euadebat, Citadellâ pro se stãte: suis etiã iussibus audientes Copię Regio se immiscere Exercitui abnuebãt; vnde rumores varij de ipsius in Hispanos propensione diffamabantur.

Cardinalis Mazarinus, vt reditũ suũ in Galliã

ex-

explanaret, Coloniæ degens pacis mentionem Hiſpanis iniecerat, quæ cum Fuenſeldagna Flandrię Moderatore non mediocri calore agitabatur, ità ſentiente Hiſpaniarum Aula; quãdo repentè (negotiatione ad exitum iam ſpectante) Fuenſeldagna Mazarini tractationibus aures occluſit. Vulgatum eſt, hanc ab Hiſpanis tractationem eis admodum vtilem ſupreſſam eſſe, quia Condęi Nuncij illuc ad fœdus percutiendum venerant, in quo magnarum rerum fundamenta iaciebant.

A Principe hæc palã refellente culpa diuturni incolatus, quem Hiſpani in Aſtnæi Ciuitate ducebant, in Regios Miniſtros retorquebatur, qui nullas vnquam Copias, vel à ſe rogati, ſibi contribuere voluiſſent, vt hoc opus pręſtare poſſet; cùm alioquì ea Exercitus pars, quę ſuis iuſſibus pręſtò erat, Hiſpanorum pręſidio valido & munito hinc eijciendo non ſufficeret.

Cauſam, quę Condæum iuſſit Pariſios deſerere, per codicillos Parlamento ipſe expoſuit: videlicet omnia ad Cardinalis reditum diſponi: Mercurij Ducem intimiora arcana Coloniam detuliſſe: Aulam, licet Mazarino vacuam, ipſius tamen artibus inquinari: Tilleriũ, Lionnã, & Seruientum diuturnâ aſſuetudine Mazarini dolos combibiſſe, & nunc in Cõſilio Regis præpotentes omnia ad illius arbitrium attemperare: præſentem eſſe abſẽtis Mazarini Auctoritatem:

in-

insidias contra ipsum tendi: tutum sibi non patere ad Regem accessum, hunc iniuisse ab Vrbe discessum, vt propriæ incolumitati consuleret: alienam gestare se à tumultibus mẽtem, nihil deuiantẽ ab obsequio, & seruitute, quam olim Regi professus erat: Ciuitatis incolatum resumpturum, cum cessarent insidiæ, & securus in ea degere posset. Contius, qui fratris querelas Parlamento deferebat, addidit Ciuitati, & Aulæ fratrem restituere se nõ posse, quin prius hi tres Ministri, Tillerius nempe, Lionna, & Seruientus relegarentur: existorum exilio illi securitatem reduci.

Cap. XIV.

Acta in Parlamento. Parlamento pro Condæo apud Regem suplicanti responsio à Rege facta.

1651.

OCTAVA Iulij, Parlamento sedente, Protopræses luculentâ oratione ostendit vanum fuisse Cõdęi timorẽ: Aliquid cõtra ipsum intentare non somniasse quidem Aulam: non debuisse suspicionem aeream, & futilem solidas querelas facere, & vniuersam Galliam armorum timore concutere: his motibus bellum ali-

aliquod ciuile portendi. Belli ciuilis nomen præsentis Contij aures, & mentem vellicauit cuestigiò respondentis, Condæo fratri nihil antiquius esse Galliarum quiete, & Regis obsequio: significationes iam tantas suæ fidelitatis prompsisse, vt non vacaret eas recensere: nimis fœdam hanc esse notam, quæ eius honori à primo Præside imprimeretur: debuisse ab illo suos diligentiùs expendi sermones, qui Sanguinis Principum decus attingebant.

Protopreses acri responso nihil omninò permotus, ei retulit illius non esse se dicentẽ interpellare: Vnum duntaxat Regem posse sibi ex ea sede, quam occupabat, loquenti silentium indicere, alijs non licere: Nihil noui in sua oratione Senatui attulisse, cùm nondum exoleuerit eius Maiorum memoria, qui Galliã sus, deque verterunt. Contius iam calens secundò perculsus efferbuit, vt diceret se extra eum locum illi probaturum quantum excesserit in Sanguinis Principe malè habendo. Protopræses respondit se nullo pauore duci. Vniuersus Senatus Contio obstrepuit.

Molè vltrà sexagesimum agebat annũ. Effeto corpore animus viuidum robur seruabat. Consuescit in multis animi vigor cum ipso corpore defloreſcere; ità vt strenui iuuenes pauidi senes euadant. Primo Presidi senectus animum aduersùs terrorem confirmauit. Dandum hoc ma-

magnanimitati, quæ, cùm virtus sit, nescit decrescere, nullisque membrorum debilitatibus subijcitur. Virtutes strenuis hominibus innatæ cum ipsa ætate latiùs propagantur. Inter maximos viros illorum temporum hic mihi videtur commendabilis, animi fortitudine, prudentiâ, sapientiâ, & iustitiâ. Nullam sibi factionem prȩter Regiam constituit: omnes Principum furores, & Parlamentariorum ferocia consilia auctoritate refrenauit; & soliditate argumentorum infregit. Auctoritas ipsius Aurelianensis Ducis auctoritati aduersabatur, & par illi stabat. Vir necessarius illâ tempestate ad fouendam Regis potȩtiam admodum attritam. Omnes eum venerabantur: nullus iniuriam illi intentare ausus est. Beneficium, quod potiùs debet referri acceptum ipsius integritati, quàm potentiæ. Hominum æquitas quandam maiestatem præ se fert, quæ petulantes deterret, & adigit officio.

Parlamento lamentationes Condæi Reginæ deferenti responsum est: vlteriora benevolentię pignora huic Principi à Rege dari non posse, qui non modò ipsius desiderijs non repugnauerat, sed illa Prȩfecturis, honoribus, pecunijs farserat. Terrorem panicum illius mentem obsedisse, dum inania, & à nullo vnquam excogitata sibi fingeret. Tillerij, Seruienti, & Liõnę sedes, quas apud Regem mortuum impleuerant

uerant, fidelem, & inueteratam illorum seruitutem explanare. Subditos nullius conscios peccati, tot laboribus, & incorrupto seruitio benemeritos nefas esse damnare. Auctoritatem Regiam perijsse, si nullius operâ vti posset, nisi eorum, qui Condæo placerent.

Inter has contentiones Parlamẽtum obtestatum est Aurelianensem, vt arbitrium inter Aulam, & Condęum suscipere vellet. Aurelianensis excusauit operam à se iam sine fructu pręstitam, asserens huic causæ non defuisse: multa exposuisse & Reginæ, & Principi: sed partes in sententia adeò obduruisse, vt nihil sui labores profuerint. Iterum obtestantibus respondit, vt huic ordini, & sibi satisfaceret, fortiores conatus adhibiturum. Varijs propositionibus vltrò, citròque productis, Regina (quæ consiliario vtebatur tempore, vt omnia belli ciuilis germina eradicaret) Condęi pertinacię, hæc tria propugnacula adhuc Regium consilium obuallantia quassare contendentis, cessit. Tres hos Ministros (quod nimirùm fidi, & validi in Consilio erat) dimouet. Tillerius, Seruientus, & Lionna Regis abdicati seruitio suam se domũ conferunt.

Deinde Parlamentum, acceptâ à Regina fide, vas Condæo extitit nihil contra ipsum Aulam molituram esse: ad placitum, & tranquillè Parisios regrederetur. Regreditur: Parlamento

gra-

gratias agit, Reginâ, Regeque non aditis. In publico Senatu perſtrictus à primo Præſide monetur grauiter peccaſſe, quòd priùs inuiſerit Parlamentum, quàm Regem; aſſerente nihil aliud Parlamentum eſſe præter Regiæ ſpeciem Auctoritatis: debuiſſe priùs Solis faciem venerari, quàm radios. Fatetur errorem Condæus, & promittit, ſe non diſceſſurum, quin Regem reuereatur. Promiſſum fallit ante Luparam ſæpiùs, inſalutato Rege, pertranſiens. Tandem Aurelianenſis eum ad Regẽ pertraxit: ſed propter offenſarum recordationem, quæ refricari dolentiùs ab aſpectu ſolet, amore mutuo animorum torpente, viſitatio parùm grata ſuccedit. Hinc Condæus cœpit in ſuis Prouincijs manum facere, pecuniam cogere, Arcium munitiones augere. Quæ omnia ab ipſius fautoribus, nec non ab Aurelianenſe ad timorem aduentus Cardinalis Mazarini, reijciebantur; vt ſcilicet ſe contra aduentantem hoſtem muniret. Verùm alij aſtruebant hunc prætextum auidè his vocibus ali, vt copia ſibi fieret impunè ea comparandi, quæ amplum confirmare poſſent imperium, ab impreſſionibus tutum.

Non modò in Gallia, ſed in tota Europa ſatis conſtans erat hominum ſententia à maiore Rege Cardinalem reuocatum iri: quia non decebat illam Maieſtatem tumultuantium arbitrio circumagi. Vtile quoque, & glorioſum euadebat

debat eā abolere opinionē, quę exterorū mētes insederat: in Gallia innocētes puniri: ibi fidelē seruitutem calamitosam accidere: alienigenas virtutes opprobrio, & ærumnis rependi. Sed Condæo non licebat Regis voluntati frænos injicere, & rebellare; quia suspicabatur, ne ipsius desiderijs obsequens esset. Immò hi tumultus, & Condæi minę vrgebant puerum Regem; vt Cardinalem ad ferruminandum consilium aduersùs Principem præpotentē citissimè ad se reduceret. Hæc tamen concepta Regis sententia Mazarinum restituendi Hispanis, & Condæo dicebatur arridere, quorum vnis amissa repetendi, alij imperij condendi conferebat opportunitatem.

Hæc in Condæum passim vulgata ipsius operationum propugnatores, & amici oppositis rationibus diluebant: asserentes necessitatis vinculo Principem agi, & ad præcipitia, in quæ ruebat, inimicorum violentiâ trahi: Pignoribus fidelitatis tantis circumfundi, vt in dubium verti non posset, quin paratus esset ad vitam pro Regis seruitute toties hostibus obiectatam denuò liberaliter deuouendā: A defectione supra omnes vtiles Regis seruos torqueri, & cū aduersa fortuna grauiter expostulare, quòd inuito adeò execrabilē inurat notam; sed industriâ, & acerbitate inimicorum in illum calamitatis gradū relapsum esse, vt perniciem nequeat prętterire,

niſi ad hoſtes tranſeat, vt quam ſecuritatem apud Gallos Sanguinis Princeps, Regis conſanguineus, tot inſignitus trophœis deſiderare cogitur, apud Hiſpanos offendat.

A Cardinale Mazarino excelſum, Regi vtilẽ, Gallię neceſſarium, hoſtibus formidatum Principem, in vinculis, minore Rege, cohibitum, ſatis, ſuperque eruditum fuiſſe, ne incolumitatem ſuam huius hominis fidei ſubmitteret. Mazarini ad Aulam reditum, Condęo inibi degente, idem planè eſſe, ac carceris manes menti iugiter pauenti offundere. Nunquam defuturas cauſas, quibus à Miniſtro inuiſus prægrauetur, ſi olim poſt tot victorias ſuperfuerint. Acerbius ipſa morte eſſe aſſiduos inter fluctus iactari, ac precariam libertatem, & vitam exigere: Egregijs factis, & glorioſis operibus non poſſe vexationes rependi. Certò Cardinalis Mazarini ad miniſteriũ reſtitutionem in maiori Regis ætate Cõdęo, vel fugam indicere, vel exilium decernere. Quibus præmiſſis deducebant à Principe Hiſpanos ſectante criminoſa tela in Regem non eiaculari, quę ad Mazarinum detorquebantur, nec poſſe perduellionis peccatum illi animo adſcribi, qui obedientię pronus ſalutem ſuam ab aduerſario ſine intermiſſione appetitam hoſtilibus armis tueretur.

Cap.

Cap. XV.

Rex apud Senatum perduellionis Condæum insimulat. Altercationes Condæi, & Gondij in Senatu.

1651.

REGINA, cùm satis exploratã haberet Condęi defectionem, sollicita erat inuestigãdi modũ, quo illa Parlamento, & Populis constaret; ne simulatis obtenta prętextibus, vel obedientioribus, & Reginæ imperio audientibus imponeret. Tunc ferebatur, Gondium ratum se maximum emolumentum Gallię præstaturum, cũ sibi notũ negotiationis ordinem fideliter depromeret, Reginæ exposuisse; quòd quamuis varij de se rumores iuxta interpretantium genium promanauerint, pro certo haberet Maiestas sua se Regis commodis semper hærentem de obedientiæ orbita nunquam deflexisse: cuius fidelitatis vt luculentum produceret experimentum, aperiebat Maiestati suæ Condęi Principem tractationes Gallię, & Regi perniciosas cum Hispanis sanxisse, quarum seriem Parlamento, vel ipso aduersante Condæo, professurus erat, Protulit etiam scriptum, in quo continebantur fœderis capita singillatim exarata.

Verba Gondij maximâ conſolatione Reginam affecerunt ; quę illas illuminabant tenebras, circa quas multi cęcutientes, aut rerum imprudentes potuiſſent errare. Meruit Gondius Reginam purpuræ ſplendorem illi prouocare, qui ænigma tam collectum enodauerat. Conſultum fuit, an eueſtigiò inijciendæ Principi manus eſſent, cui deliberationi obſtabat fides à Rege Parlamento data : deinde periculoſum erat in Ciuitate factioſo referta populo carcerem intentare Principi amicorum multitudine ſtipato. Quare æquius, & tutius viſum eſt Parlamentum de his rebus à Rege doceri, vt illud decerneretur, quod iuſtitia ſuaderet.

Parlamẽto à Rege Luparã accerſito, ſcriptũ Regis loquẽtis ab à ſecretis promulgatur : quãti videlicet fecerit Rex Condæi Principem, quot locupletauerit beneficijs: Prouinciarum nimirũ, pecunię, dignitatis immenſum contuliſſe; vltimò Seruientum, Tillerium, & Lionnam dimiſiſſe : priuaſſe ſe optimis conſultoribus, vt à Principe non prætextus modò, ſed vmbras amoueret. Quę gratiæ induratum pectus non emolliuerunt : cùm notum eſſet Maieſtati ſuę Principis conſilia quotidie duriores deliberationes inſtruere : illi ſingulis hebdomadis à Rege Catholico, & Archiduce Leopoldo epiſtolas tradi, quorum tabellarios ipſius milites Cameracum vſque proſequentes acceſſum, & receſſum

ceſſum ijs tutũ præſtabant: munire arces, quarum gubernationes impetrauerat: copias, quibus moderabatur, à Regijs ſeponere, & demum Regij dominij conuulſionem agitare.

Licet poſtulationes à Rege ꝓductæ vlterioris indigę probationis nõ viderẽtur; Senatus tamẽ cẽſuit (antequam ad vota diſcederet) eas intenſiùs eluceſcere. Hoc Principis Sanguinis conditioni dabatur, de cuius fide erga Regem propè nefas erat ambigere. Ideò à certiſſimis indicijs grauiſſimi diſquiſitio criminis inauguranda. Ad Gondium ſpectabat hæc clariora lumina proferre. Decimâ nonâ Auguſti in Senatum ambo coeunt. Princeps obtulit ſchedulam ab Aurelianenſe ſcriptam, qua Dux illius teſtabatur innocentiam. Deinde aliud diffuſius ſcriptum legendum curauit, quo ipſe obiecta oppoſitis rationibus infringebat crimina. Quibus perlectis, acerbè in Coadiutorem inuectus, eum increpuit, quòd violentarum auctor deliberationum eſſet, exemplumque attulit conſilij ab eo olim prolati, vt Ciuitas contra primum armaretur Præſidẽ ad ſigilla à Regina ei data extorquẽda. Gondius has voces pari etiã ſono refutauit. Quibus exemptus altercationibus dies conſultationem ad vigeſimam primam eiuſdem menſis prorogauit.

Ad conſtitutam diem cum armatorum numero ad Parlamentum Princeps accedit. Gondius

Principis aduentu, & militari apparatu nequaquam perterritus còdem conuenit multo maiori amicorum robore vallatus. Reus ille, accuſator iſte, qui paulò antè in eadem Aula admodum frequens omnes Conſiliarios de Condæi innocentia interpellarat, vt vota illi compararet, ad eundem è carceribus educendum.

Non puto nec promptiores, nec maiores mutationes vllo vnquam tempore animaduerſas eſſe, quàm in illis Pariſiorum tumultibus obſeruatę ſint. Pauci in jiſdem partibus firmi: ferè omnes amicitiam in hoſtilitatem, & inimicitias in ſtudium bis, terue commutarunt. Nulla ſanguinis affinitas, nulla antiqua neceſſitudo ducebatur: commoda rebus potiora omnibus erant: ſuæ quisquè in illa rerum circumuolutione ſtudebat fortunæ: cætera negligebantur.

Coactum Senatum Condæus primus edocuit ignotos homines enſe, & paruis ſclopetis inſtructos Palatium compleuiſſe: ſibi comites hæſiſſe quidem amicos quoſdam nobiles, qui vltrò ſe propemodum repugnantem ſecuti erant; cæterùm nescire, quid incogniti vultus animo molirentur. Senatores vehementer indoluerunt, ſacrum, & venerabilem locum ſceleratis armis temerè pollui. Vnde ex Parlamenti decreto quatuor Conſiliarij cum Gondio, & Rupifocaldio Principis Condæi nomine ad purgandam gladiatoribus Aulam proceſſerunt. Attentatum

ſca-

scabrosum, & periculi plenum euasit. Gondius ab vno ex satellitibus Condæi propè interfectus est, qui stricto pugione inopinantem petebat. Tandem euacuato Palatio, ea quoque dies iam prouecta cœptam præcidit deliberationem.

Parlamentum obseruans quanta manerent Galliam discrimina [bellum ciuile ineuitabile, cui non solùm vniuersum Regnum, sed ipsa Lutetia in primis subijciebatur] rogat Aurelianenesm Ducem, vt denuò se medium inter Condæum, & Aulam faciat. Nam Regina, etiamsi iustæ causę suppeterent ad Ducis arbitrium excludendum: attamen pacis compendio permota, multa illi integra permittebat; nec Condęo iustis de causis licebat ab Aurelianensis sententia discedere, cuius vno adminiculo machinarum suarum basis condebatur. Dux sine cunctatione hoc oblato munere se onerat. Principe adito, fategit, vt eum ad Aulam reduceret; cuius propositum expugnare nequiuit, identidem repetentis sustinere non posse Regis præsentiam se rebellionis crimine prementem; nisi opposita illius declaratio inflictam abstergens maculam prœcessisset.

Dux Regem, & Reginam facilè exorat, vt ad Parlamentum alios mittant codicillos, qui precedentes Condæum rebellionis insimulantes aboleant, ipsumque bonum, fidelem, & amicũ promulgent. Quibus actis, nunquam voluit

Condæus ſe Regi ſiſtere; Imò ipsâ Regiæ feſtiuitatis die, qua Regẽ pubertatẽ exuentem Gallię leges maiorem dixerunt Equitatui non interfuit: duntaxat epiſtolam ad eum dedit, qua illi felicem diem gratulabatùr, excuſans inimicorũ ſuorum fraude, (qui ſe Maieſtatis poſtulauerant) à debito obſequio prohiberi.

Finis Libri Tertij

VARII EVROPAE EVENTVS COMPENDIARIÈ DESCRIPTI.

LIBER QVARTVS.

Cap. I.

Rex Maior à Parlamento declaratur.

1651.

PVPILLAREM ætatem, quę decimo quarto definitur anno, leges Gallię ſuis Regibus ad decimum tertium coarctant. Conſonum eſt Regibus [quos Deus Populorum parentes creat] corporis vires, & rerum cognitionem citiùs, quàm alijs pubeſcere. Ludouicus decimus quartus Regni legibus innixus ſeptimâ Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi primi numeroſo, & ſuperbo equitatu (qui dicitur omnibus anteactis Regum ſimili munere defũgentium præſtitiſſe) ad Parlamenti ędes proceſſit. Inibi ſuam implens ſedem, quam Galli lectum iuſtitię vocant, fatur ſe ad Parla-

lamentum veniſſe ; vt huic ſignificaret , decreuiſſe iuxta Regni leges ſuę ditionis adminiſtrationem ſuſcipere , quam , Deo aſpirante , iuſtitiâ , & pietate inſtructam fore ſperabat .

Magnus Cancellarius , vt moris eſt , vltima Regis verba eleganti oratione continuans Ludouici decimi tertij gratam renouauit memoriã , illuſtria facta , & egregiam memorans adminiſtrationem . Hinc ad præſentem Regem deflectens , indolem tot virtutibus ſaturam concelebrauit : quod ipſius naturæ referri debebat acceptum , nec non educationi , cui tantâ charitate , diligentiâ , & ſtudio Regina incubuerat, vtique inſiſtens , vt ipſius mens literis , ſcientijs , & bonis conſilijs imbueretur . Laudato deinde Aurelianenſe Duce , renunciauit Parlamentarijs Regem officia , quæ quiſque poſſidebat, eiſdem rata facere , eoſque Iudices ſuorum Populorum conſtituere . Tandem rursùs ad Regis virtutes conuerſus , poſtquam audientium pectora excellentis moderationis ſpe compleuit, diuino quodam afflatus ſpiritu prædixit hunc Regem Galliæ miraculum , fœderatorum ſpem , hoſtium futurum terrorem .

Regina ſe leuiter Regi flectens ait nonum decurrere annum , quo ipſius educationem , & Regni adminiſtrationem procurabat : ad Diuinam referre Omnipotentiam , ſuos labores hunc felicem ſortitos exitum eſſe , vt ad hanc ætatem

per-

peruenerit, quæ iuxta Regni leges res ſuas moderari illi permitteret. Ius datum ei libenter remittere, dum ſperaret Deum prudentiam, & vires inſpiraturum illi eſſe, quibus Populos ſuos moderato poſſet regimine felicitare.

Rex reſpondit pro pignoribus plusquàm materni in ſe amoris, & tot conſumptis laboribus gratias ei reddere: ab ea autem adhuc contendere, vt optima ſibi inſtillare conſilia perſeueraret, quam ſecundùm ſe conſilij caput conſtituebat. Surrexit deinde Regina, vt eum veneraretur. Rex quoque ſurgens procumbentem oſculatus ſuſtinuit. Omnes deinde Principes, Duces, Pares, Laici, & Eccleſiaſtici humili veneratione fidelitatem profeſſi ſunt.

Protopræſes eleganti orationis ornatu ea reproduxit capita, quę magnus Cācellarius attigerat. Omnibus ſolemniter peractis, duo promulgantur edicta, quorum vnum Dei nomen imprecantibus, aliud ſingulari digladiantibus certamine, quod Galli duellum vocant, meritas pœnas deſignaret. Rex comitatu, quo venerat, eodem redijt.

Cap. II.

Conſtitutiones Regis maioris. Oratio Marchionis Caſtrinoui ad Regem. Eiuſdem reſponſio.

1651.

VSQVE dum intricata produximus. Inerat Reginę auctoritas, cuius Parlamentum, & Principes ſuam ſibi partem arrogabant, quę inter tot manus diſtributa lacerabatur potiùs, quàm ſolidaretur: vnde deliberationes infirmę, parùm ſtabiles, & litigioſæ. Quare ad id temporis mirabilis fuit Reginę prudentia, & vigor, quæ multa conſtituta, quamuis à Principibus oppugnata, intrepidè ſuſtinuit; talique induſtriâ, & verendâ maieſtate in diſpenſanda auctoritate Regia vſa eſt, vt videretur tota ſemper ex ſe vna pendere. Nunc plana res eſt. Rex maior factus, quod ſuum erat, ab omnibus recollegit: quantum Regia patebat Auctoritas, in ſe vno circumſcribebatur. Licet adhuc inuenirentur, qui teneram ætatem contemnerent; vel minimum auctoritatis nemo illi iuſtè ſurripere poterat.

Rex Auctoritatis recuperatione obfirmatus cœpit eueſtigiò conſilium, quod ſublime Galli vocant

vocant, digerere : fidos homines adhibere : dubios propulſare : Marchio Caſtrinoui, & Vetusuilla reuocantur : Sigilla primo Præſidi, vt iam tùm Regina decreuerat, conferuntur : Chauinius exigitur: Pili facientibus Rege, & Reginâ, an benè, vel malè Principes has mutationes ſentirent. Scripſit quoque Rex Mareſcalco Aumontio, vt Condæi copias cum reliquis cogeret : & quando hoc abnuerent, in eas, tanquam in hoſtes declaratos, inſiliret. Quod extemplò, & intrepidè patratum eſt. Fugatæ copiæ ſe Clermontium recipiunt. Contius, & Nemo oſius Pariſios deferentes vniunt ſe Condæo, qui iam ad bellum apertum proſiluerat, & partim vi, partim inſidijs multas Vrbes à Rege ſeduxerat.

Marchio Caſtrinoui obſeruans formidabile ciuilis belli principium graui, & ſpeciosâ oratione Regem aggrediens oſtendit quantum hoſtem Maieſtas ſua ſibi deſumeret, Principem nimirũ Condęum tot facinoribus militaribus clarum, vniuersâ Galliâ concelebratum, ſtrenuos ad ſe belli Duces allicientem, tum ipſius virtute excitos, tum auro Hiſpanico, quo affluebat perductos. Quod magis mentem ſuam vrebat, eſſe obtentum, quo eius arma Princeps inducbat, plauſibilem, & pleriſque ſubditorum peracceptum ; excluſionem videlicet Cardinalis Mazarini, de quo iam ferebatur regreſſum in Galliam adornare. Ante mentis oculos, ſibi poneret Maieſtas

ſtas ſua Aurelianenſem Ducem, Parlamentum, omnes Principes, vniuerſam Galliam ad hos nũcios turbari, & iam ad arma reſpicere, quibus iſtius viri acceſſũ adeò inuiſum, & formidatum propulſent: Si omnes iſtę opes Condęo, & Hiſpanis acceſſiſſent, ſe Maieſtati ſuę admodum timere, & rerum exitum formidare. His pręmiſſis neceſſarium inferebat epilogum Cardinalem æternùm proſcribendi; vt amotis ſuſpicionibus iſtius reditus vniuerſos Populos conſolaretur: Principem amicis, & prætextibus exarmaret, & ad pœnitentiam ſine ſanguinis effuſione perduceret.

Exhibuit exemplum HENRICI IV^i, qui à Prouincialibus rogatus, vt Gubernatorem, quem improbabant, amoueret, illicò exoratus fuit; ſapienter proferens velle ſe potiùs tantillum ſuæ auctoritatis, quàm Prouinciam perdere.

Hic diſcurſus diuerſis hominum interpretationibus emanauit in vulgus. Aſtruebant multi nullo oblitam fuco hanc Caſtrinoui locutionem eſſe, commendabilem referentem politicen, & fidelis ſeruitutis ſapientem obſequium, ac ſinceritatẽ; dũ ſuo enucleare Regi tot impendentiũ remedia calamitatum, quæ nemo ex domeſticis audebat indicare, licet illa luculentiſſimè paterent. Monarchiam in abrupto ponere, vt vnius hominis vindicetur auctoritas: Regem, & vniuerſum

uerſum Regnum tantis implicare diſcriminibus, vt Mazarini reditus adornetur, nequaquam redolere prudentiam. Quod facilius poterat præſidium, nullo modo refutandum, proponi, quàm vnius hominis proſcriptione tot præparatis maljs defungi?

Alij ingraueſcentem Caſtrinoui carpentes ætatem autumabant frigefactũm pectus vegetarũ deliberationum potens non eſſe: extinctum animi vigorem imagini periculorum ſuccumbere; tremefactam ſenio mentem non ampliùs valere ſolida, & laborioſa agitare conſilia; ſed primo diſcriminum impulſui decedere.

Iudicarunt nonnulli callidum ſenem Principibus odioſum, in miniſterij vertice ſedentem, oratione publicum bonum, & Regis commodũ prætexente anniſum eſſe: Principibus placere, & ſublimem auctoritatem, quæ aduenienti Cardinali deſtinabatur, ſibi, Cardinale repulſo, conſtabilire.

Rex vnicâ, ſed generosâ, & magnanimâ reſponſione Miniſtri orationem, vel artificioſam eluſit, vel timidæ obuiàm iuit, vel cautæ ſatisfecit, inquiens, vſque dum nihil magis auctoritati ſuę offeciſſe, quàm conceſſiones: ex iſtis Principes ſemper ſibi gradum ad exorbitantiores petitiones paraſſe: prægreſſos errores à minori ipſius ętate excuſari: nunc ſe maiorem doceri à prȩteritis, ne facilitate neruos imperij reſcinderet

ret : fas ſibi eſſe leges dare , alijs accipere .

Cap. III.

Condæi apparatus . Rex,& Regina eum inſequuntur .

1651.

CONDÆVS, vt arma rationibus cohoneſtaret , & populorum animos obligaret (quorum inclinatio præcipua erat ſuorum motuum baſis) libellum ad Regẽ datum edidit,his inſcriptum ſenſibus : Regis voluntatem peſſimis Miniſtrorum conſilijs occupari : Mazarinos eſſe omnes , qui viam ad Cardinalis reditum ſternebant , à cuius aduentu calamitates Galliam inundaturę erant : hactenus nullum infeſtiorem hoſtem Cardinale expertos eſſe Gallos , qui non minùs auro inhians , quàm ſanguini , omnia exercitibus permiſerat , vaſtitates , rapinas , expilationes : ità vt multoties Regij milites peiùs eius ſubditos , quàm hoſtes habuerint : ad arma ſe accinxiſſe , vt tantam perniciem , & ruinam adeò imminentem à Gallorum ceruicibus auerterent .

His conſtitutis , & confirmatis amicorum animis , Monterotundo vxorem , & filium collocat: Contio , Nemoroſio , & Ducisſâ Longauillę

Aua-

Auarici Biturigum relictis; cuius Ciuitatis occupatio integram Biturigum Prouinciam illi vindicabat. Ipse cum Duce Rupifocaldio Burdigalam appulit, Regina tempestiuè literas ad Burdigalenses dederat, quibus monebantur, ne Condęum perduellionis crimine notatũ admitterent: ni in pristinas bellorum calamitates voluissent relabi. Multi ex ciuibus, vel metu noui belli, vel iussuum reuerentiâ adacti censebant claudenda ostia, & à mœnibus arcendum Principem esse. E contra plerique in Principem, & seditiones versi, quorum nondum condignas pœnas luerant, maxima cum lætitia portas aduẽtanti recludunt. Vrbem ingressus Princeps literas patentes multis Legatis dispensat ad nouas legiones conscribendas: in Hispaniam mittit, qui tractatus cum illo Rege ab ipso inchoatos obsignent, quorum summa hæc erat: Rex Principi penderet quingenta nummorũ millia: Classem Garumnæ immitteret, quæ Burdigalã appropinquaret, si opus esset: nulla pacis mentio sine Principis fieret consensu: nec Princeps sine Regis Hispaniarum permissione cum Gallię Rege transigeret.

Rex, & Regina, totumque Consilium sensit hunc hostem nouum, & formidabilem (antequã inualescceret, & opes suas confirmaret) insectandum esse. Parisijs Auaricum digressi solo nominis terrore ipsum Contium cum toto suo co-

mitatu fugant. Licet hìc aliquandiù deplorare infelicitatem illorum temporum, ad quas Galliarum Regina, & Rex procelloſis turbinibus impulſi allidebantur. Regina duos ante annos eamdem Guiennę viam preſſerat, cùm Principes carceribus attinerentur. Mulier longiſſimum iter improbis emenſa laboribus, vt tranquillitatem ſibi, Regnoque compararet, Burdigalam magnis itineribus decurrerat: Burgundiam, Normanniam adiuerat: tumultuſq; vndique ſuborros pacauerat; ouans Pariſios cũ Rege infante, & pupillo reuerſa (dum ſibi ex itineris felicitate ominabatur quietẽ) derepẽte Parlamẽti decreto Principes educuntur carceribus, & ſubactę Prouĩciæ ad priſtinos reſtituũtur tumultus. Virtute, & induſtria periculis defuncta, malitia ſubditorum in grauiora relabitur.

Modò eadem illi premenda veſtigia maiori euẽtus ambiguitate: nam tunc Duces Condæi, ipſo captiuo, debellandi erant: nunc idem ipſe Princeps manu impiger obſtabat, & munitus cõſilio, ſummã rerũ adminiſtrans. Rex quidẽ maior, ſed ætate adhuc imbecilla longum iter, & difficilia bella exantlanda ſine Matris ductu ſuſcipere nequibat. Quare Regina ad arduum patrandum facinus ſe diſpoſuit, ad quod rarò vel ipſi Reges adulti ſe accinxerunt. Immenſæ res offerebantur ſuperãdæ, quarum vnaquæq; quãcũq; aliã mulierẽ deterruiſſet. Perpetua mutatione

tione locorum aeris ferenda erat diuerſitas, quę plurimùm valetudini officit: ipſaque itineris longitudo, cui per quamcunque grauem tempeſtatem inſiſtendum erat, nec pluuijs, nec inundationibus parcendum, nec calori, nec frigori aliquid dandum: dies, noctesque, ſi caſus peteret, incedere: Populorum calamitates, & voces vexationem deplorantes ſolari: fideles animare: perduelles exterrere, & proſternere: ipſa armorum ſubire pericula: animum ad omnes epiſtolas, ad omnes nuncios, ad omnes tabellarios ſuſpendere, an perditas, an reſtitutas res afferrent. Quodcunque fœminile pectus vel ſola diſcriminũ cõſideratio (quę in mulieribus ardentiſſima eſt, ſemperq; ſibi infelicia prędicit) fregiſſet. At Regina ſexus imbecillitatem morũ probitate, & rectitudine conſcientiæ vindicabat: plus quàm viriles circumuoluebat cogitationes. Spei plena, metus ignara proſpera ſibi augurabatur, quę non verebatur à Deo iuſtiſſimæ cauſæ arbitro impetrare.

Minùs calamitoſa Regis erat conditio: nam florenti, ſano, viuidoque à teneris annis immiſceri laboribus glorioſum, & vtile euadebat, ærumnoſa tamen vtriusque contemplantibus videbatur fortuna: Matrẽ in ętate iam vergenti, Reginam quieti, non erroribus, & profectionibus innutritam; & puerum Regem inter Aulæ mollitiem educatũ, vaſtas Regiones peragrare,

ad rebellantes Populos iter instituere, inter armorum strepitus, & discrimina longos viarum tractus emetiri. Ad tolerandas ærumnas profuit Reginæ olim voluptates spreuisse, quæ muliebris animi vigorem, & mentis lumina solent extinguere. Regem iuuit ab Aulę blanditijs secedere, & aduersùs pericula animum indurare. Iter conficiunt triumpho simillimum. Prouida fuit, non iniqua fortuna, quę eos ad tot victorias consequendas, quot fixerunt gressus, perduxit. Auarici exemplum tota Regio Biturigum consequitur. Hìc armorum Præfectum Rex nuncupat Comitem Arcurtium. Contius, & Nemorosius, qui ab Auarico Montemrotundum petierant, verentes, ne ab armis Regijs obsiderentur, hinc abscedunt, & Burdigalæ refugium quærunt. Arcurtius Pictauiã pergit, totâ Prouincia suis conatibus fauente.

✠

Caq.

Cap. IV.

Condæus Burdigalam ingreditur. Ipsius expeditiones militares. Ad Coniacum funditur. Rupellæ Turres à Regijs expugnantur.

1651.

AVCTVS Condæus quatuor hominum millibus, quos Classis Hispanica in Burdigalę cõtinentẽ exposuerat, Burgum proximam Vrbem occupat, munitq; : mox Santones inuadit, & Santono Metropoli Ciuitate potitur. Hinc Coniacum adoritur : quæ Ciuitas à nobilibus Prouinciæ, qui eam propugnaturi intrauerant, tandiù defenditur, donec Arcurtius decimâ quartâ Nouembris cum suis Copijs superueniens in obsidentes irruerit. Ii, occupato Suburbio, domibus, & extructis munitionibus protecti diutiùs inuasionem Regiorũ sustinuerunt; sed, exilientibus Præsidiarijs, à fronte, & à tergo perculsi ad vnum vel cæsi, vel capti sunt. Hæc clades, quæ non plùs, quàm mille homines Condæo ademit, vniuersi Exercitus animos emasculauit. Primum fuerat suorum armorum attentatum, quod à vulgo cæteris diligentiùs perpenditur; cum experimento comparatum sit,

vt plurimùm finem principijs congruere. Aduersa quoque æstimabatur fortuna. Auctus aquarum pontem Carantono flumini inductum soluerat: vnde Condæus suis laborãtibus, aquis impeditus, opem ferre non potuerat. Rebelliũ animus grauitate facinoris hæsitans, sicut prosperis sensim confirmatur, ita aduersis repentè prosternitur. Secundùm hanc pugnam Condęi miles animi alacritate remissâ nusquam Regijs restitit.

Comes Ognonus Gubernator Retæ, Broagi, & Rupellę ad Condęum rebellauerat. Rupellæ, (post celebrem illam oppugnationem à Ludouico decimo tertio peractam) muris exutę ex tot munitionibus tres duntaxat Turres supererant, quę portus accessum protegerent. Rupellenses, licet à Gubernatore pressi, rem ad Regẽ trahebant. In his reuolutionibus, vna excepta Burdigala, cæteri Populi Regi cupiebant. Sed in Gallia sunt adeò solidę, & diuturnę Prǫfecturę, vt Ciues plùs à Gubernatoribus, quàm à Rege metuant. Hinc fit, vt sæpè formidatum Gubernatoris odium eos cogat Regis amorem altè recõdere. Arcurtius à liberatione Coniaci expeditus Rupellam aduolat, vbi ex tribus Turribus duę, iuuantibus Rupellensibus, statim recipiuntur. Gubernator tertiæ (quę à Sancto Nicolao nomen trahebat) à Presidiarijs confoditur, mox ad Regem transeuntibus.

Cap.

Cap. V.

Rationes, quæ proponuntur Cardinalis Mazarini ad ministerium reuocandi. Ipsius reditus.

1652.

ADEO prospera armorum auspicia Maiestati Regię suum sensim restituunt nitorem, quem Parlamenti decreta, & Principum consilia decolorauerant, eò magis, cum videretur Diuina Prouidentia Regis causæ præstò esse, & rebellium audaciam crebris mulctare infortunijs. Veruntamen non poterant petitiones descisceatium æquiùs puniri, & Maiestati Regię pristinus viudicari splendor, quàm reuocatione Cardinalis Mazarini. Æquum erat turbas ibi desinere, vbi inceperant. Tot tumultus fuerant excitì, vt Cardinalis explodereturi, qui nisi ipsius reditu omninò sedari nequibant. Consonum erat illam maculam eluere, quæ Maiestatem fœduerat: nimirùm expulsionem fidi hominis, & probati Ministri seditiosorum libidini dedisse.

Auctoritas Regia, quæ immensi pŏderis est, profectissima in posterum non apud exteros solùm, sed apud subditos habebitur, si illi minùs licebit

licebit, quàm priuato. Nulli hominum prohibetur fidelis ſerui conductio, Regi vetabitur; iniquum eſt nobili, aut plebeio ſeruum, qui fidelem operam præſtitit, non muneratum dimittere; Regi, qui perfectiſſimum offenderat à Patre moriente commendatũ, imperabunt ſubditi, vt illum iniuriosè exigat, & eos deſignabunt, quos Regijs adhiberi curis velint? Nimis miſera eſſet hæc regnandi conditio; & quis in poſterum omnibus votis contendat ſuam Regi intemeratam ſeruitutem impendere, ſi ingenuè ſeruire crimini datur?

Cardinalem Mazarinũ Regno amandauerat Rex, quia ferebatur ipſius exilio exulaturas eſſe ſeditiones. Quid inde? Recrudeſcunt tumultus; quos denuò pollicentur Conſpirantes ſedatum iri, quotieſcunque Tillerius, Seruientus, & Lionna ex Aula migrauerint, eò quòd iſti Mazarini arcanorum Miniſtri proſcribendi viderentur; quia non minùs Mazarinum, quàm eius conſilia eliminare expediret. Succumbit Regina illorum deſiderijs: ipſas plectit virtutes: priuatur incorrupta virorum conſilio, quo tempore conſilia omnia tradebantur corrupta. Innocentium pœnâ ſatisfactum eſt nocentium voluntati. Sed quorſum hæc? vt Regem fidis hominibus nudatum pecuniâ, viribus auctoritate nudarent. Non perſequuntur Mazarinum, Seruientum, Tillerium, Lion-

nam

nam: Regiam insectantur potentiam, quę quia horum consilijs inhærens firma stabat, fulcra deijciunt, vt pręparatis machinis arietata minùs resistat.

Quando prædicti Ministri Aulã deseruerunt, tumultus omnes in vna Parisiorum Vrbe circũscribebantur, nunc post eorũ exilium benè multa Gallię pars miscebatur. A Ligeri vsque ad mare suum Conspirantes gropagarunt imperiũ: Guiennam, Pictones, Santones, Bituriges, Montẽrotundum, Castrum Diuionis, Bellagardam, Campaniæ partem occuparunt: habuerunt delectum: prępotentẽ authorarunt Exercitum; ità vt iam non pes, aut brachium, sed iugulum Auctoritatis Regiæ premantur. Vnde opus sit Reginam cum Rege aduersùs rebelles iter flectere, & frontem fœminilem quidem, ac puerilem, sed colendâ dominantis inscriptam Maiestate, hostibus formidabilem, Populis acceptissimam porrigere.

Hæ publicæ voces, & necessitates Regi incũbentes expulsos reuocandi Ministros consilium subdiderunt, speranti ipsorum aduentu reuersuram esse felicitatem, quę ipsorum discessu abierat. Præcipuus tunc tẽporis erat in Consilio Regis Protopræses Molè, à cuius sententijs cùm nunquam abesset fortitudo, multi hanc magnanimam illi adiudicant deliberationẽ. Mazarino igitur mandat Rex, vt celeriter Aulam repetat

perat, Mazarinus quinque hominum millia à Duce Neoburgi, & Marchione Brandeburgico exauthorata ad Regis prouocauerat ſtipendia: quam manum in Galliam ducit; vbi iam Rex Gubernatoribus Arciũ limitanearum iniũxerat, vt aduenientem Cardinalem nõ modò comiter exciperent, ſed commeatu, & omni re neceſſariâ iuuarẽt. Mareſcalcus Oquincurtius primus illi iungitur: Pontes occupat: vias, vbi tranſitus difficiles erãt, munit: omnia præparat, quæ itineris longitudo ad ſui ſecuritatem depoſcebat. Viam ingreſſus Cardinalis magnis itineribus ſub Ianuarij initium Pictauiam pergit, vbi Aula morabatur. Rex, Dux Andegauẽſis frater, Princeps Thomas à Sabaudia, qui in iſtis reuolutionibus manu, & conſilio ſemper Regi aſtitit, ceteri Principes, & Proceres Aulæ obuiàm illi proceſſerunt tanto apparatu, vt hunc reditum ſuperbiſſimum Mazarini triumphum fecerint: ſatis, ſuperque tàm luculento teſtimonio purgantes relegationis infamiam, & dedecora Parlamenti, edicta, probra, ſcriptaque admodum magnifico humanitatis officio abolentes.

Cap.

Cap. VI.

Parlamenti edicta contra Mazarinum. Rex ipsum protegit.

1652.

PRIMOS ad istius reditus Nuncios Parlamentum timore perculsum edicta renouat. Iusserat Parlamentum iam inde à Cardinalis relegatione, vt in ipsius regimẽ inquireretur: nullę tamen perquisitiones adeò exquisitæ, & summa cum diligentia inuestigatæ aliquod Cardinalis peccatum arguebant; potiùs laudes, & benefacta, quàm malã administrationem testes produxerant; imò Dux Longauillæ, qui Monasterij Nuncius extra ordinem pacis cõditiones agitauerat, interrogatus, an malitia Cardinalis pacis conclusionem morata esset (licet Cardinali inimicus) planè negauit. Nihilominùs quò magis Mazarini administratio insõs apparebat, vel Regis testimonio approbata, Parlamentũ, & Mazarinum, & Regis Auctoritatẽ profligare eò impensiùs obstinabatur. Cardinalẽ reum sine criminum nota constituit. Quingentos mille nummos pollicetur illi, qui vel viuum, vel exanimem eum Parisios pertraxisset.

Ipsius

Ipſius Bibliotheca ex pulcherrimis totius Europæ vẽditur, vel potiùs in infinitas manus diſſipatur, ne rurſus cogi poſſet. Ad ſummum omnia exequuntur, quæ reconciliationis ſpem omninò deſperarent.

Regis conſilium omnia quidem Parlamenti decreta alijs obiectis decretis irrita fecerat. Sed Parlamentum illud ſemper hac edictorum publicatione conſequebatur, vt Populorum inclinationem vrgeret; eoſque ſpecioſitate verborum, & vanâ ſpe onera remittendi, & pacis indipiſcendæ ad bellum ciuile fouendum præcipitaret: qui etiamſi tandem peculiaribus Principum, & Parlamentariorum commodis malum publicum enutriri cognouerint, diù tamen falſis obtentibus allucinati ſunt. Pariſijs licet multi Magiſtratus à Rege ſtarent, Gubernator nimirum, Mercatorum Præpoſitus, & ciuilior Vrbis pars; quiſquiliæ, & perditi homines, Principum, ac Parlamenti auctoritate ſubagitati, tutiorem rebellibus, quàm Regijs præſtabant acceſſum.

Hoc vnum Regis cauſam ſemper iuuit. Godius malè conueniebat cùm Condæo: ideò multa conſtituta tardabat, & Aurelianenſem Ducẽ quodãmodo moderabatur, ne adeò ſollicitè belli neceſſaria expediret. Sub hoc tempus Gondius tandem nominationem ad Cardinalatum à Regina conſecutus erat: quare ſpecie grati animi

mi partes Regias Parisijs egregiè curabat.

Rex litteras misit ad Aurelianensem Ducem, quibus eum ad Aulam inuitabat: sed ille acri responso non veritus est Regem vulnerare: scilicet se cum omnibus Principibus vitã potiũs profusurum, quàm Mazarinũ in Gallia tolerare. Pertraxit Dux ad suas partes Parlamentum Languedochiæ, & meliorem Prouinciæ partem, quò pecunias Regias, quibus potitus erat, trãsmisit, vt militum delectus haberetur.

Cap. VII.

Dux Roanus à Rege deficiens Exercitum Regium contra Andegauensem Ducatum à Guienna pertrahit. Andium expugnatur. Res Guiennæ.

1652.

IN Guienna nouus Condæi mile: aduersis prælijs consumptus, & insuetis laboribus accisus, nedum hostem tolerare, sed neque hyemis iniuriam pati poterat. Condæus hunc militẽ vltra Dordonam fluuium in hybernis collocat, vt temporis tractu vires, animũque reficeret, fluminis altitudine ab hostili insultu protectus. Rex statim decreuerat vltra fluuium ducere, & veteranas suas copias victorijs alacres

alacres, & tempestatibus induratas in hostem languentem immittere, nec minimum spatium quietem aucupantibus dare, & eos vel impetu belli, vel aeris intemperantiâ, vel laborum improbitate exhaurire. Veruntamen repentinum, & improuisum infortunium faustissimi consilij executionem præuertit. Dux Roanus Andegauensis Ducatus Gubernator fidens exercitui, qui in Campania à Comite Tauano comparabatur, illinc videlicet posse se suppetias opperiri, nudat animum suum Condęo iam longè oppigneratũ: à Rege rebellat, & ipsam Andiensem Ciuitatem secum trahit.

Quare Rex cogitur Copias, quas in subsidium Arcurtij contra Principem destinauerat, illuc compellere; ne vlteriùs repentinum malum ferperet. Mareschalli Oquincurtij, Comitum Brogliæ, & Naualię virtus hoc difficile negotium paucis diebus compendiosè finiuit. Nam Dux frustrà expectans à Tauano auxilia, quæ in tempore illuc penetrare nequiuerant, coactus fuit cum Rege paciscì, & Vrbe, ac Castello excedere.

Etiamsi nec Regis præsentiam, nec Copias recepisset Arcurtius, non tamen destitit Condæum assiduè carpere, modò aperto Marte, modò in Hybernorum quiete ipsius militem fatigare, & fundere. Ferè omnes Copiæ dispalatæ Burgũ vsque cũ suo Duce pelluntur: Sãctono Ciuitate

tate cum multis minoribus Castellis ad Regis obedientiã perductis.

In aliquibus visa est alternari fortuna; ni Cõdæus, vel animi impetu, vel auiditate maioris victoriæ oblatam opportunitatem corrupisset. Conflixerat cum Marchione Sãcti Lucæ occisorum paritate: sed Regij à Condæistarum maiori numero oppressi fugę se cõmiserant, multisque captiuis relictis, in Oppidum Miranduſã perfugerant: cuius munitionum debilitas illis necessitatem imposuerat deditionem faciendi honestis conditionibus impetratis: à quibus reiecti (quia Princeps volebat harum reliquiarum captiuitate integrum adornare triumphum) desperatione adacti virtutem colligentes murorum debilitatẽ pectorum validitate compensãt: & prodigiosam propugnationẽ instituunt, cuius beneficio tempus nactus Arcurtius suppetias his ferendi, Principem cum suorum strage illinc exeussit.

Dissipatis Condęi Copijs, & totâ ferè Guiẽnâ, vnâ exceptâ Burdigalâ, expulso Principe; cùm nihil inde pernicioſi Rex speraret, & turbæ Parisiorum, apparatusque militares ab Aurelianense congesti, non modò Regis præsentiam, sed Exercitũ exigerent (vt etiam frẹnaretur Nemorosius Dux, qui Copijs ab Hispanis acceptis, illisque Condæi insertis non mediocrẽ cõflauerat Exercitum, Campanię, Picardiæ, & Insulæ Francię formidabilem) rebus Guiennæ prudentiæ

tiæ, & virtuti Comitis Arcurtij demandatis cõ-
ſilium cepit in Pariſiorum viciniam copias re-
ducendi: vt illibatos, & integros Lutetiæ ciues
foueret, ne eorum animi viribus, & auctorita-
te Aurelianenſis quaſſati concíderent. At, ne
non ſemper omnibus deliberationibus exequen-
dis aliqua nectteretur vel mora, vel diſcrimen,
dum Aureliani tentat ingreſſum, iamque Ciui-
tas diſponit ſe ad Regi portas reſerandas, Vrbẽ
intrat Duciſſa Montiſpenſerij Aurelianenſis fi-
lia, quæ diuerſam ciuibus mentem auctoritate,
& præſentiâ inijcit: Patris videlicet partes am-
plectendi. Aureliani non admiſſus Rex Ghien-
ni põtis beneficio vſus Ligerim traijcit, Nemo-
roſio, & Boſortio ipſius attentatis aduerſante.

Cap. VIII.

*Condæus in Pariſiorum viciniam ab Aquitania re-
greditur: Oquincurtium fundit.*

1651.

CONDÆO aduerſę fortunæ in Aqui-
tania cedenti ſedit mutare locum,
& aliam belli faciem adornare, vt
propitiorem offenderet. Habet id
omninò fortuna, vt, quibus in vna
terrarum plaga aduerſa eſt, multoteis eorũdem
deſti-

deſtinatis in alia reſpondeat. Diſcedit Guiennâ Condæus cum octo duntaxat equitibus, & temeritate ratò ad exitum feliciter perductâ, totum terrarum ſpatium, quod inter Burdigalam, & Pariſios iacet, emenſus, omnibus defunctus periculis, Exercitum ſuum, cui Nemoroſius, & Boſſortius imperitabant, conſequitur: magnâ non modò militum alacritate, ſed incredibili Pariſiēſium lætitiâ, qui illi ad multum ſpatium obuiàm proceſſerunt, ſperantes Vrbem intraturum eſſe: ſed Condæo Exercitum ductare placuit, & perpendere, an aliquo notabiliori facinore in conſpectu Pariſiorum edito iacturas in Guienna ſibi à Regijs inflictas ijs remetiri poſſet; quod plurimum valuiſſet ad famam deficientis fortunę abrogandam, & Ciuitatis animos ſe dimittentes ſpe felicioris exitus erigendos. Igitur aciem ad Montargiſium dirigit: quæ Ciuitas, non expectato ſubſidio à Regijs deſtinato, nullâ maiori defenſione tentatâ, eueſtigiò deditur. Ex hoc loco tanquā è ſpecula Regiorum Exercituum habitum tutò ſpeculabatur.

Accepit ab exploratoribus Regias Copias in plures manus partitas apertis in vicis otium agere. Occaſionem benè agendi nactus intempeſtâ nocte ſeptimi Aprilis Mareſcalcum Oquincurtium oſcitantem, dormientemque inuadit, nulloque negotio fundit potitus totius Exercitus impedimentis. Hinc omni abiectâ cunctatio-

ne, ad Turenam ſe conuertit. Sed veterator Dux illius inſidias eluſit, & ab aperto Marte ità ſe explicauit, vt nulla timoris confeſſione factâ conflictus poteſtatem hoſti non fecerit. Nuncius cladis Oquincurtij ad Aulam peruenit, auctus non duntaxat, vt in conflictibus bellicis fieri conſueuit, ſed vt quoque tenebræ ſolent res paruas intendere. Rex lecto ſe demiſit: armatuſque in equum exilijt cum vniuerſis Ducibus, qui Maieſtatem ſuam comitabantur non ſine magno tumultu, & conſternatione; quia vulgabatur omnes Copias deletas eſſe; pergebatque aduersùs hoſtem Rex intrepidè, ni certiores Legati, & epiſtolę, illibato Turenæ Exercitu, nihil illinc timendum eſſe renunciaſſent. Hęc fuit vna ex ijs occaſionibus, quę paulatim animum Regium ad pauores non admittendos diſpoſuerunt. Teneris animis ex diſcriminum contemptu fortitudo ſenſim impreſſa eos nouiſſimè præſtat terroribus, & periculis impenetrabiles.

Menſe Martio Pontifex Cardinales creauit, inter quos Gondius optatur, qui tandem deſiderij compos Cardinalem Rhetium ſe dixit. Hic Condęi potentię auſus eſt aduerſari, eumque impauidè apud Regem, & Parlamentum perduellionis crimine inurere: mox etiam adnixus ſeditiones permulcere, & ardentiores prunas reſtinguere. Quibus benefactis (ſuadente etiam ne-

neceſſitate hunc hominem in procelloſiſſima tempeſtate à Conſpirantium factione auertendi) eum Regina ad Cardinalatum nominauerat, qui, hac honorificâ impetratâ dignitate, viſus eſt à turbis recedere.

Cap. IX.

Mentio pacis fruſtra illata.

1652.

TOT inter armorum ſtrepitus, dum Principes bello magis incaleſcerent, Parlamento, & Populo venditant pacem: paratos ſe nimrùm eſſe arma ponere; dummodò Rex Cardinali nouum irrogaret exilium. Qua Principum oblatione impulſum Parlamentum, & Populus peritos delegarunt viros, qui omnibus votis Mazarini relegationem à Rege contenderent, vt tandem ſolidâ pace Gallia à tot calamitatibus reſpiraret, quæ, perſeuerante bello, iure timebatur, ne expiraret. Rex etiam Angliæ, qui Pariſijs morabatur, in hanc ſententiam faceſſiuit, vt Regem hortaretur ad Mazarinum dimittendum. Idem Mazarinus rogauit Regem, & Reginam, vt tandem hac ſuſpiratâ pace populos bearent: & ſe miſſum facerent: aſſerens æquum

non eſſe vnum virum ideò à Maieſtate ſua protegi, vt tot confoderentur.

Rex immotus erga tot potentes celebrium virorum impreſſiones vnico reſponſo omnium poſtulata expunxit: inſpicerentur acta, quæ contra Cardinalem inſtructa fuerant, an pœnam, vel præmium mererentur: ſe nihil magis, quàm iuſtitiam decere: ſi Cardinalis peccaſſet, peccatũ pari ſueret pœnâ: ſi opportunam ſeruitutem Regno pręſtiterat, nihil magis non indecorum modò, ſed ſceleſtum eſſe, quàm ſupplicium benemerenti decernere: ab expulſione Cardinalis Regnum præſentibus anguſtijs affici: eius exilij beneficio abuſos Principes vires ſibi paraſſe, & arces muniuiſſe, & fœdera cum inimicis percuſſiſſe: quæ omnia, ſi Cardinalis adfuiſſet, prudentiâ, & conſilio anteueniſſet: inſanum eſſe & eo adminiculo priuare, vt ijs inniteretur, qui non fulcire, ſed auctoritatem ſuam proſternere laborabant.

Populum multum debere Cardinali, qui ab eorum ceruicibus belli incommoda, perſeuerantę ipſius adminiſtratione, propulſauerat: odium erga Mazarinum innatum ijs non eſſe, neque ab aliqua euidente cauſa procreatum; ſed à Conſpirantibus, ſcripturis adulterinis, veluti fallaci hamo mobile vulgus capi, quod tandem (aſpirante Deo) prauum ſemen à bono diſcerneret, videns fructus, qui hinc inde pullularent. Si

Maza-

Mazarinus expleuisset Conspirantiũ cupiditates, Auctoritatem Regiam decoquendo, fidus ab ijs Ministeꝛ prædicaretur: sed quia fidele opus Regi, & Regno nauauerat, eorum libidines castigando, inter prauos habebatur: nunquam separaturum à se hominem, qui ob ingenuam seruitutem, & intemerata consilia publica maleuolentia proscindebatur.

Addidit Regi Angliæ se omniũ quidem admirari deliria: nullũ verò magis illo Ducis Aurelianensis, qui cùm esset Coronę cęteris propior, ideò magis curæ Regni emolumenta illi esse deberent: è contra plus cæteris composita euerteret, & Regni clades solicitaret: itaque inebriaretur odio erga Cardinalem [cuius nulla causa vel nota, vel satis legitima elucebat] vt, quando alio non posset, illum quæreret Galliarum ruina obruere: sed facti quandoque cum licet serò pertęsurum: Hoc vnum in tot malis se consolari, quòd ipsius deliberationes vna æquitate ductæ nullius libidinis nota inficerentur. Angliæ Rex adorauit genium dicentis.

Cap. X.

Rebelles ad Eſtampenſem Vrbem profligantur. Ipſa Vrbs obſidetur, cui Dux Carolus Lotharingus ſuppetias venit. Obſidio ſoluitur. Lotharingus in Flandriā remeat. Ad Suburbium S. Antonij confligitur.

1652.

INTER has negotiationes videbatur bellum intrepidè adminiſtratum citiùs impoſiturum eſſe finem bello, quàm mentiones pacis toties ijſdem conditionibus fruſtrà repetitę. Mareſcalcus Turena menſe Maij audax, & induſtrium facinus viriliter exequitur. Exercitus rebellis in Vrbe Stampenſe æſtiua agitabat; illectus opulentia eorum, quæ victui conducunt, & in ea parte affatim proueniunt, aut è vicinis locis conuehuntur. Turena illuc inſidiosè progreditur, copias hoſtiles cęſurus, quarum benè multa pars in Suburbio diuerſabatur: adoritur, trucidat, capit, admodum paucis euadentibus, quibus Comes Tauanus, qui cum alia Exercitus parte in Vrbe degebat, præſtò eſſe nequiuit: Turena, & Oquincurtio ijs irruptionibus, quæ ab Vrbe tentari poterant, intercedentibus.

Hac

Hac clade exterriti Principes (qui Pariſijs morabãtur, vt illam opulentiſſimam Ciuitatem ſibi penitùs aſſociarent, vſque adhuc infecto conſilio) diuerſos ad Aulam Nuncios ſubmittunt ad res ſuas componendas: dummodo Cardinalis vellet ſuadere Regi, vt Conſpirantium Duces egregijs hoſtimentis nobilitaret; Contio ſcilicet Prouinciæ gubernationem impertiretur: Comiti Ognono, & Marſino Mareſcalli baculum: Condęo verò multa alia ponderoſiora concederet. Quæ poſtulata ne paſſus quidem eſt Cardinalis ad Regias aures deferri; quamuis ei ſtabilem in Gallia ſedem pollicerentur. Huius grauitas ſoni Populorum auribus adeò obſtrepuit, vt demum ſoporoſos animos excitauerit, qui prędentes à ſuis miſerijs ſperatas Conſpirantium vberari felicitates, illud cœperunt deteſtari bellum, quod inter tot vexationes publicam nullam portendebat vtilitatem.

Mareſcallus Turena felici Stampenſe ſucceſſu inuitatus, quod ſupererat belli in ea Vrbe, ſuffocandi impetum cepit, circa quam vallum defodit, & munitiones erexit, multiſq; ſecundis velitationibus hoſtẽ adeò protriuit, vt ſibi multum timẽs opẽ Hiſpanicã rogauerit. Illis temporibus Dux Carolus Lotharingus domo eiectus Exercitum rapto viuere aſſuetum, nullis unquam refectum ſtipendijs per Regiones hoſtiles, & amicas plùs ad prædam, quàm ad prælia ductabat. Huic

Duci ex tot bonis nihil præter has Copias reſeruauerat fortuna, quas ſingulis annis certo pecuniarum numero fœnerabat Hiſpanis; qui in rebellium fauorem vltrò proclines, Duci imponunt, vt rebus Principum Galliæ cadentibus ſubueniat. Hic rectà Pariſios tendit: & (quis crederet?) totis Populorum, ac Principum animis exceptus illam Metropolim ingreditur. Lotharingus à Galliæ Rege ſuâ ditione exutus, viſus eſt gloriari ſe vicem tanto Regi repoſuiſſe, qui ſicuti Nanceio ipſum prohibebat; ità ſibi dederat fortuna eum protelare Pariſijs.

Turena in hunc nouum hoſtem mouens, cogitur Stampenſem obſidionem laxare, cùm tantis Copijs non affluerer, vt duabus militaribus expeditionibus locis diuerſis eodem tempore par eſſe poſſet. Animo congrediendi Lotharingus defecit, quamuis prouocatus à Turena expauit in agonem deſcendere. Ideò Ducisſæ Ceuruſæ, & Marchionis Caſtrinoui oblationes ex parte Regis ſibi factas cueſtigiò complexus eſt, iter in Flandriam remetiens. Multi tamen hunc citiſſimum, & incruentum reditum Hiſpanicæ prudentiæ adſcribebant, qui Ducem hac præcautione in Galliam dimiſerant, vt bellum aleret: neque ità vnam partem foueret, vt alia nimis preſſa adduceretur neceſſitate conditionibus patis, quæ quotidie perpendebantur, ſubſcribendi. In Hiſpanorum conceptu hoc Gallicum bellum politicè

magis

magis, quàm armis conſtandum erat. Priùs tamen non diſceſſit Dux, quàm viderit Principum Copias obſidione ſolutas in Pariſiorúm vicinia agère. Tunc pręſagiens bellum in eo Statu eſſe, qui durationem promitteret, à Turenæ minis ſe ſubtraxit: & viam in Flandriam reſumens abijt potiùs victor, quàm victus, ſine ſanguinis effuſione Hiſpanorum mandata exequens, remorari nimirum pacem: protrahere bellum.

Nihilo ſeciùs ex hoc diſceſſu Rex ceperat animum debellandi, ni Pariſienſis Populus datam fidem fefelliſſet. Populus Regi profeſſus erat ſe ciuitatis oſtia rebellibus non recluſurum: & tamen eos Vrbis præſidio imminenti ruinæ exemit. Rex Meloduno Sanctum Dionyſium peruenerat, vt proximitate ſuâ Pariſienſibus alijs terrori, alijs pręſidio eſſet: decreueratque Copias Principum, quæ viciniam Pariſienſem vaſtabant, inuadere. Principes ad Sanctum Claudium caſtra locauerant, quę appropinquantibus Regijs malè tuta ſuis perſuaſerant Ducibus, vt ſecuriores ſedes quęrerent: Initum igitur fuit conſiliũ ducendi Charantonum, quod iter commodè conficiebatur per Meditullium Vrbis Pariſienſis. Sed Ciuibus, qui portas cuſtodiebant, tranſitũ detrectantibus, Principes coacti ſunt latiori vię inſiſtere, & circuire Suburbia.

Turena certior factus de hoſtilis agminis itinere raptim inſequitur, & poſtremam aciem in egre-

Cap. XI.

Palatium publicum Pariſienſe crematur.

1652.

CONSPIRANTES ad bellum protrahendum duobus potiſſimùm egebãt: pecuniâ nimirum, & excluſione Regis à Ciuitate Pariſienſe: Hæc illos conſtituebat Dominos Parlamenti, conciliabatque in toto Regno ſummam auctoritatem, & crimen perduellionis obtendebat: Illa milites præſentes ſuſtentaſſet, & nouis authoramẽtis vacuas legiones impleuiſſet. Multa tamen acciderant, ex quibus præſagiebatur hæc à Pariſienſibus ægrè obtineri poſſe. Iſti multa dederant à Principum parte alienationis indicia: tum quia omnibus taxationibus, quarum ſæpiùs iniecta mentio erat, reluctabantur, cùm etiam quòd in hoc vltimo prælio inuito exorati eſſent; vt portarum recluſione ab internecina pugnæ non copiæ modò, ſed ipſi Duces eriperentur. Vnde poſtquam ij Vrbem ingreſſi fuerant, omnibus neruis contenderant, vt aut Ciuitatem ad ſe pertraherent, aut integros, & ingenuos Ciues regimini impoſitos exploderent, quibus clientes, amicosque ſufficerent, quorum auctoritate

tate cæteri agitarentur.

Primùm Ciuitatis Dominos (illos ità vocant, qui publico regimini prępoſiti ſunt) inſidioſo tentant alloquio eos ciuiliter adeuntes, gratiaſq; agentes de apertione portarum. Quamuis ſciret ſe minimum illis debere, plurimum tribuunt; vt hac beneficij non accepti confeſſione eorum animos immeritis gratijs impenſiùs obligatos, ad ea, quę petebantur, pararent: nec non etiam illis in animum inducerent à gratia Regis cecidiſſe, cùm grata Conſpirantibus feciſſent: imò ab ipſo Rege vetita præſtitiſſent. Hac arte eos à Rege, tanquam ipſis irato, putabant diuellere, & ſibi recenti obſtrictos beneficio coniungere. Deinde nectunt (cùm res in eo loco eſſet, vt vtriſque à Regis iracundia impenderent pericula) æquum eſſe arctiorem ſocietatem inter mutuis iam obſtrictos meritis iniri. Gubernator Mareſcalcus Hoſpitalis, Præpoſitus Mercatorum, & reliqui Conſiliarij intelligentes, quantum hac vnione è Republica peteretur; ne ipſi ſoli partibus Regijs addicti inficiatione petitionis totam Conſpirantium ſubirent inuidiam, reſpondent: fas non eſſe in Ciuitate adeò populoſa rem tantã paucis votis decerni: ſe conuocaturos ex omnibus Ciuitatis ordinibus magis conſpicuos: mox eos admonituros de conſtituto.

Conuocato igitur conſilio generali, in Palatium frequentes ciues coeunt de hac mutua ſocietate

cietate indissolubili nexu constabilienda in commune consulturi. Sed ciues bello fatigati, & iam stomachantes Conspirantiũ postulata, irritis consultationibus totam diem exemerunt: ibaturque ab omnibus in sententiam propositam vnionem improbandi. Cum vel à colluuie Populi, vel à militibus ex Sancti Victorij Suburbio accersitis (nullũs enim dissentit istas non fuisse operas ad hoc nefarium facinus à potentioribus conductas) palatium circumsistitur: lapides primùm in portas obstructas, & fenestras iaciuntur: deinde, cùm iam ferro res ageretur, militibus palatij præsidiarijs defensionem meditantibus, applicitis facibus portæ incenduntur, eòque discriminis res adacta est, vt, sex ex Consiliarijs occumbentibus, reliqui insanientis turbæ furorẽ clandestinâ fugâ eluserint.

Parisienses huius casus atrocitatẽ adeò acerbè doluerunt, vt extemplò Conspirantiũ amicitiam eiurauerint. Palatia publica Vrbium compendia sunt. Varium quoque hominum genus inibi collectum omnes Ciuitatis ordines tangebat. Laicorum, & Ecclesiasticorum magnus numerus illam congregationem conflabat; ita vt vel sanguinis affinitate, vel intimâ necessitudine, vel beneficiorum acceptorum memoriâ nullus in Ciuitate extaret, qui plurimum obsessis, & flamma, ferroque discerptis non deberet. Nihilominus non obseruo Ciuitatem vel publica, vel priuata

uatâ impulſam calamitate ad miſerorum ſubſidium maturauiſſe. Quiſque domi ſuæ morientibus ingemuit: nemo opem tulit. Ciues arma capere, viarum aditus claudere, minis aerem complere parati ſemper ſunt: adire pericula, armatis ſe obijcere, ferrum ferro repellere lentè deliberant. Vel fortaſſe adhuc diſtracta Ciuitatis ſtudia commendabile, & ſalubre conſilium arma contra prædones induendi impediuerunt. Vnius Duciſſæ Mompenſerij pietas in agone poſitos iuuit; ipſius auctoritas, & reuerentia ſceleſtos cohibuit, & obſeſſis vindicauit aditum ad libertatem.

Cap. XII.

Pariſienſes cum rebellibus amicitiam dirimunt, & Regi ſe reſtituunt.

1652.

VIDEBANTVR ſibi Cõſpirãtes Palatij publici, & animorum regentium expugnatione maiores difficultates exantlaſſe: & ludos operã fecerunt. Mercatorum Prefectus noluit amplius in Conſilio ſedere: Gubernator Ciuitatem deſeruit: Reliqui boni, & incorrupti ciues ſeceſſerunt. Quæ res dedit anſam Conſpi-

spirantibus vacuas Consilij sedes deuotis sibi hominibus complendi : & , vt omnem amouerent suspicionem se vnquam auctores incendij fuisse, curarunt etiam , vt duo ex seditiosis laqueo pœnas luerent : quo specioso supplicio satis , superque exonerauisse se apud Populum iudicabant , & abundè Palatij incendium delinquentium sanguine extinxisse .

Bruscellũ Parlamentariũ Mercatorũ Præfectũ cõstituunt : Ducem Bofortium Gubernatoris titulo ornant : sperantes duos viros tantæ apud vulgus existimationis posse omnia ad nutum circumagere , & Ciuitatem perpetuę Parlamenti , & Conspirantium obedientię defigere .

Parlamenti decreto Dux Aurelianensis Regis Locumtenens, & Prefectus armorum designatur: post ipsum Princeps Condæus . Aurelianensis facultatem à Parlamento ingestam arripit , nouumque designat consilium , quo tantum munus administretur . Hęc dignitas , & tot speciosæ nouitates visę sunt in aliquod graue discrimen Regis Auctoritatem daturæ esse . Adeò tamen parùm profecerunt , vt in iocum , & derisum facessiuerint . Nullus quippè inuentus est , qui se sistere huic nouitio Magistratui voluerit ; vel Præfectui Mercatorũ, aut Gubernatori à Cõspirãtibus dato obtemperare : immò homines illi , quos Populus tãti faciebat, post ãplitudines nullo iusto titulo vsurpatas apud vulgus uiluerũt .

Pri-

Primũ facilius, quod noui isti Magistratus meditati sunt, fuit pecuniæ exactio, quã à tanto tempore affectabant. Hic erat præcipuus rerum articulus: opulentam nimirum Ciuitatem taxationibus submittere, quibus semel admissis, lata via sternebatur ad tyrannidem; nam quò maior coacta fuisset pecuniæ vis, cò magis, pressâ Ciuitate, factiosorum numerus adoleuisset. Vnde inter tumentes seditiosorum vires, & bonorum opes Ciuium in diem elanguentes non ampliùs impositum frenum excuti potuisset. Quique vni obedire Regi recusarent, plurium tyrannorum libidinem sustinere coacti essent. Tributum in principio leue imperatur, & quasi precariò exigitur: quod si patientiâ, & cæcâ Ciuium indulgentiâ admissũ esset, sensim auctũ eas vires coactoribus feciſſet; vt deinde, quidquid placuisset, à subactis ciuibus extudissent. Preces excipit violẽtia, cùm semel robur, & imperij facultatẽ nacta est. Sed tot, tantaque factiosi testimonia dederant ambitæ dominationis, crudelitatis, & imperij, vt iam cognoscerent ciues ab ijs non suum bonum, sed perniciem agitari, populorum opes quæri, se calamitatum ludibria destinari. Adhuc in tẽpore miserijs eruditi mentis oculos adaperiunt: prudentiùs futura æstimantes, quàm præterita examinauerint, refutant non modò solutionem vectigalium, sed obedientiam, & amicitiam diuimunt.

Ducis-

Duciſſa Mompenſerij prima geſtauit flocum palearem in capite, vt hoc ornamento Parlamentarios à Regijs diſtingueret. Exemplum filiæ Principis mouit vniuerſos ad paleam galero applicandam: & eò res euaſit, vt pro ſuſpectis haberentur, qui ſine hoc indice per Vrbem incederent. Mille quingenti ex magis conſpicuis, & potentioribus ciuibus (quibus imminentium calamitatum ſpeculatio bonam mentẽ reddiderat) in Palatium publicum congrediuntur malis proſpecturi. Vbi cùm, aliquandiù deplorato ærumnoſo Ciuitatis ſtatu, de agendo cõueniſſent, paleam abijciunt, & chartam galero imponunt, viaſque publicas decurrentes omnibus imperant, vt paleare ſignum in album commutent: colori palido ſuſpecto, & dubio candidum priſtinæ, ac ſincerę fidei indicem ſubſtituendum eſſe: Regi obedientiam præſtandam: rebelles propulſandos. Hæc Ciuium deliberatio falcis ad inſtar vniuerſa capita iſtius hydrę præcidit, inhibuitque aliquod nouũ monſtrum in poſterũ renaſci.

Cap. XIII.

Parlamentum Regi se submittit. Nemorosius à Bofortio interficitur. Contentio inter Condæum, & Comitem Rieusium. Mors filij Aurelianensis.

1652.

NVLLA potentia fluxibilior est illâ, quæ suâ vi non nititur. Parlamenti edicta tantis elaborata consilijs, tantis promulgata rumoribus, quorum strepitus totius Europæ aures fatigauerat, illicò fatiscunt, tanquam vile folium nulli vsui destinatum. Ipsa Parlamenti Auctoritas, quæ ad illud fastigiũ euaserat, quò videretur de paritate cum Regia contendere, ex sublimi illo vertice in humillimum locum illicò proruit. Nunquam tulit documenta fors maiora, quàm fragili loco starent superbi. Paucis contumacioribus Capitibus exceptis, quę Parisijs commorata sunt, plùs supplicij metu exterrita, quàm viribus confisa suis: totum Parlamentum à Rege sic iussum, Pontæsium se recepit; Camera Computorum, magnum Consilium, quò cuique imperatum est, digrediuntur; vel cõtranitentibus Conspirantibus, quorum auctoritas

tas in dies intabescebat.

Malum sydus, quod vsque dum Regem fatigauerat, Principes obsedit. Dux Nemorosius peculiaribus simultatibus, & asperitate agendi Ducis Bosortij Sororij sui stimulatus hunc ad singulare prouocat certamen: quod pugnæ genus sedit nobilibus Galliæ; imò eorum animos adeò familiariter occupat, vt sæpissimè plus ad explendam pugnæ voluptatem, vel potiùs insanam libidinem, quàm ad querelas finiendas in arenam descendant. Nemorosij manus, vulnere recenti vix coalito, imbecilla in displosione minoris sclopi fefellit: Bosortij firmior, ideò certior manus, sclopeto aptè librato, Sororij pectus glande plũbeâ hausit, confoditque.

Mortem Nemorosi concomitata est contentio inter Comitem Rieusium filium Ducis Elbouij, & Condæum Principem, qui illum depalmauit. Comes grauis iniuriæ spirans vindictam, nudato ense Principem petebat: sed adfuerunt intermedij Dux Rohanensis, Preseſque Viola, qui rixantes diremerunt, in vindictam eò sæuiorem æstuantes, quò tardiorem. Comes Chauinius Condæi intimus mortuus est, sub vitæ finem resipiscens. Condæum oderat Regis studiosus.

Ictus grauior Aurelianensem afflixit. Vnicus ipsius Filius duos agens annos morbo occubuit. Quæ mors intempestiua Patrem acriter percussit, molestè ferens virilis prolis orbitatem; ità vt se

totum in lachrymas conficeret, nihil penſi habens bellum præſens, dignitatem Locumtenentis à Parlamento illatam, apparatus militares, negotia vrbana. Dies, noctesque dolori indulgẽtem amici, & ipſa fortuna deſtituunt. Boſortius, & Bruſcellus malè potitâ Gubernationis, & Præfecturæ Mercatorum dignitate ſe abdicant, ſic iuſſi à ciuibus, qui velle duntaxat audire Magiſtratibus à Rege delectis profeſſi ſunt. Ipſe Aurelianenſis tacitè ab officio Locumtenentis Generalis ſe abſtinuit.

Cap. XIV.

Cardinalis Mazarinus ab Aula recedit. Dux Guiſius carcere ſolutus ex Hiſpanijs Pariſios venit. Rex cum Principibus conuenire non potuit.

1652.

INTEREA Parlamentum, quod Pôteſij degebat, exorat Regem, vt Cardinalem Mazarinum tantiſper ab Aula remoueat. Cardinalis occaſionem recedendi prudentiſſimè amplectitur: ſanius enim exiſtimabatur conſilium Regem, & Reginam introire Vrbem, animoſque priùs emollire, & aſſuetudine præſentiæ ſuę memoriam rerum præteritarum abolere, iramque

in

in Cardinalem à ciuibus conceptam lenire. Quę breuì apud extemporaneum vulgus exoleta tutiorem reditum, & à nemine impugnatum illi pollicebatur. Nam imprudens consilium fuisset, nondum tumultuosis spiritibus omninò resolutis, Populi oculis eas vmbras offundere, quę turbare quietem nondum benè confirmatam potuissent; præcipuè, cùm in Vrbe adhuc degerent Aurelianēsis, & Bosortius apertus hostis, & capitalis Mazarini, & Cardinalis Rhetius ātecellens reliquos apud Populũ auctoritate, quos Rex intendebat è Ciuitate vnà cum aliquibus Parlamēti Capitibus deturbare. Decebat itaque Cardinalem ijs deliberationibus non interesse, quę à decernente Rege profectę omne discrimen amouissent: à præsenti verò Cardinale suggestæ condigniores fecissent querelas, & exclamationes magis exauditas, & fortasse à Populo protectas.

Per eos dies, quibus summâ solicitudine Parisienses Regis maturabant reditum, Dux Guisius Parisios ex Hispania peruenit, vbi carceribus detinebatur ab Hispaniarum Rege amicitiæ Cōdæi datus. Fiduciam habebat Condæus in hoc Guisio Principe sibi recentibus beneficijs damnato res commouendi, vel saltem adminiculum bello ciuili adiungendi. Inter maiores Condæi, & Principes Lothringos olim ortę simultates ad præsentia vsque tempora extendebantur inextin-

guibiles; quas videbatur hæc gratia à Condæo domui Lotharingæ impertita ſuppreſſura eſſe. Ideò non Ducem Guiſium modò, ſed vniuerſam domum Lotharingam cum Duce Carolo Condæi partibus ſuffragaturam eſſe iudicabatur. Verùm Guiſius grates, quas potuit, Condęo egit: maiores profeſſurus, ſi caſus daretur: publicauitque nihil ſibi videri tunc opportunius, vt acceptum beneficium beneficio compenſaret, quàm ſua officia impendere ad ipſum Regi conciliandum. Sibi multum dediſſe Condæum, quòd carceribus eduxiſſet, & ſe nõ parũ illi elargiturum eſſe, ſi eum à Regis indignatione abſolueret, & gratiæ reſtitueret. Egregium Ducis conſilium fœdus Condæi cum Hiſpanis iam ſancitum penitùs interuertit.

Non defuerunt, qui Aurelianenſem Regi iungere conati ſint: Sed Aurelianenſis Cardinalis Mazarini reditui aſſenſum dare, aut poſt tot publicas proteſtationes erubeſcebat, aut ſententiæ ſemel approbatæ pertinaciùs hęrebat, quàm par eſſet: Et Rex, cui iam ventus à puppi flabat, abominabatur Aurelianenſem, & Condæum in amicitiam recipere, qui ſuarum victoriarum curſum procul dubio tardaſſent. Si iſti duo Principes cùm Rege conueniſſent, neceſſum fuiſſet illis Prouincias decernere, militię pręponere, conſilio inſerere: vnde deliberationes ſemper claudicaſſent: & tandem metuebatur, ne bellum ci-

vile

vile recrudesceret. Quapropter Aurelianense sepositò, & nullius consilij participe: Condęo Prouincijs, & arcibus exuto, vltrà Regni limites propulsato, Rex vel bellis cum hoste potentissimo occupatus, quietiùs egit, & bellum extra ditionem suam in hostili Regione maximo cum sui compendio saginauit, absolutumque sui Regni dominium sibi asseruit.

Ad excellentem quoque Regis gloriam referebatur sine Principum consilio, vel dextera: imò ipsis illi armatis occurrentibus hostes suos profligare. Certò illustrius illud est trophœum, quod de pluribus, quàm de vna tantum natione exornatur. Expediebat etiam illam popularem vocem aliquando supprimi: Regem sine Principibus Exercituum Ductoribus non posse vincere. Quæ vox adeò erat perniciosa, vt Regis munificentia videretur Principum seruituti par esse nequire: vnde, cum multum illis attribueret, semper hi reputabant se minus merito recepisse. Et tamen quantis mille passibus hoc vanum dictũ à vero distet, in præsentis Regis gestis luce clarius enituit, qui de hostibus suis, eorum copias ducente Condęo, triumphauit.

Cap XV.

Rex Parisios ingreditur. Dux Aurelianensis cum suo comitatu decedit. Parlamentum leges accipit. Acta à Condeo, & Turena in Picardia.

1652.

REX Mense Nouembris Ciuium, & Parlamenti legationibus fatigatus, quæ eum inuitabant ad Regiam, tandem assensus, Sancto Germano magnâ Equitũ multitudine stipatus Lutetiam cum Regina inuehitur. Rex Angliæ sui præsentiâ equitatum mirificè exornauit. Dux Aurelianensis fluctuasse dicitur, an domi maneret, vel aduenienti Regi obuiam iret: cuius tandem vicit pertinacia Regem non adeundi. Aurelianensis per minorem Regis ætatem imperare solitus ægrè se submittebat imperio: nesciebat pueri Regis iussibus acquiescere, cuius olim fuerat moderator, vel potius Reginę se sistere ausus non est, aut illã venerari Maiestatem, quã ipse adeò spreuerat, vt propè auctoritate, ac libertate exuerit, quæ cùm olim vellet ipsũ domi suę cõuenire, vt conceptã in Mazarinũ irã præsẽtiâ; & familiaritate sedaret, recusauit aduentãtem præstolari. Credibile est Aurelianensem in Con-

Condæi deſtinatis magna fundamenta collocauiſſe: quòd ſcilicet poſſet Condæus Regem adeò fatigare, vt ipſe, vel ipſius in Condæum auctoritas illi futura eſſet aliquando neceſſaria, ſibique magis honorificum reditum ad Aulam pararet.

Rex ad Aurelianenſem miſit, vt Vrbe abſcederet: æquum non eſſe dicens illius incolatum in eadem Vrbe pati, qui ſe videre, & debita officia humiliter ſibi præſtare indignabatur. Obediuit Dux Bleſiam pergens. Duciſſa Mompenſerij, Bofortius, Dux Rohanenſis, Rupifocaldius, multique alij nobiles, & familiares Condæi à Rege iuſſi Vrbe exceſſerunt. Sic Ciuitas ceruicoſis purgata ingenijs priſtinam obedientiam inuiolabiliter excoluit: & non tumultus modò, ſed tumultuum ſuſpicio oppreſſa eſt.

Dederat quoque Rex litteras ad Parlamentarios, vt ad ſedendum, & decreta Regia accipiẽda Luparam venirent. Qui nullas acceperant litteras, (hi duodecim omninò fuerant) cognouerunt ſibi exilium indicari; ità vt non vocati cenſerentur excluſi, Regemque nolle in poſterũ in Senatu federent. Congregato Luparæ Parlamento, quatuor Regis ſcita promulgata ſunt: Vnio videlicet Parlamenti Pontæſij cum Pariſienſe, ità vt ex duobus vnum duntaxàt compingeretur: Vniuerſalis delictorum indulgentia: Promulgatio nominum exilio damnatorum: &

ne

ne in posterum vltra causas ciuiles, intra quarũ ambitum Parlamenti Auctoritas definiebatur, quidquã auderet Parlamentum decernere. Quãtum recedebat hæc facultas à Rege conseruata Parlamento ab ea, quam Parlamentum sibi arrogauerat? Reges Parlamentum erexerant, vt lites inter priuatos dirimeret, & pœnam criminibus adiudicaret: Parlamentum se rerum Dominum astruxerat.

Ab hoc Regis in Parisios ingressu respirauit vniuersa Gallia. Bellum Ciuile profligatum est. Regius animus non minùs à tumultibus, quàm ipsa Ciuitas resedit. Sed præ cæteris Regina tot defuncta periculis, tunc primùm cœpit mentem à discriminum contemplatione reducere, & sperare tranquillitatem. Quilibet fœminilis animus Principum minis, Parlamenti decretis, Populorum tumultibus vltrò procubuisset. Nullum mare tàm tempestuosum Parisiorum faciem ad viuum exscribere potest, quo tempore ciuile bellum grassabatur. Multò enim ingentiores, & frequentiores fluctus hìc, quàm illic tumultuabãtur, qui quamcunque mentem vel demersissẽt, vel saltem inæqualitate motuum iactassent, & ab orbita consiliorum deflectere coegissent.

At virilis Reginę animus aduersùs omnes ictus immobilis in eadem consiliorum linea stetit. Vel ipsi solidiores Consiliarij periculorum grauitate perculsi nutabant. Ipsa verò Regia

mens

mens, quam ab initio compendiosam Regi sententiam duxit, eidem vsque ad finem institit: Cardinalem nimirùm reuocandum: Auctoritatem stabiliendam: Principes, & Populos obedientię mancipandos. Verè dicimus Reginam in suo regimine bis Galliam domuisse; cùm Principes carceri tradidit, & cùm è Regno armatos eiecit, eodemque tempore potentissimo hosti Hispaniarum Regi obstitit: ita tamen, vt multò minores iacturas, quàm omnes certò ominabantur, fecerit.

Nisi Marsinus Prorex Catalonię desertor, quos maximè defensos oportebat, in discrimine reliquisset; & Angli Classem Gallicam subsidia ferentem Dunicherchæ oppugnassent; & Ducem Mantuæ beneficiorum, & Casalis tot annos protecti inexcusabilis cepisset obliuio, detrimentum ab Hispanis acceptum paruo stetisset. Quamuis internis motibus occupata Reginæ mens non præteribat externa. Adeò vberrimè illius scatebant lumina, vt in Parisiorum turbas deflexa extra Regni terminos repercuterentur.

Hispani interea Picardiâ, & Campaniâ expilatis, Ducem Virtembergum, & Carolum Lotharingum Galliæ Principibus præstò esse iubent: quibus insertus Condæus cum sua manu Turenam tot prælijs consumptum cingit, & tentat, an ad pugnam possit elicere. Sed Turena viribus impar intra castra satis munita se tenebat, hostiũ

asper-

aſpernans conatus; deinde Corbellium ſe recepit, & mutatione locorum Principem fatigans aduersùs Exercitum longè potentiorem integer in aperto ſtetit, donec Rex Parilios intrauit. Tunc Condæus ſummam rerum deſperans, eas Arces ſibi deſumpſit expugnandas, quę vberiora hyberna ſpondebant. Sanctum Menoldum circumuallat, illumque ſex tormentis aſſiduò flagellat, donec ſæpiùs ab impreſſionibus repulſus tertiâ obſidionis die, amiſſis mille ducentum militibus, preſidiarios ad deditionem faciendam compulit. Quod facinus alia minoris momenti ſubſecuta ſunt: Expugnatio nimirùm Retelli, & aliorum Caſtellorum; quæ loca aperta penſitationibus pendendis adigebant.

Cardinalis Mazarinus ſummũ intendebat ſtudium in contrahẽdis militibus, & augendo Exercitu, vt à locis imparatioribus Condæum deijceret, & illi hyberna anguſtaret. Retellum etiam tentauit Turena è Principis manibus exprimere; ſed hic Hiſpanorum ſubſidio auctus nouos cuſtodes Oppido apponens irritam fecit oppugnationem. Exercitus diù aduerſi ſteterunt: feſſi tamen milites plùs egebant otio, quàm pugnâ, & inhorreſcens hyems iuſſit quemque ad hybernorum quietem decedere.

Finis Libri Quarti.

VARII EVROPAE EVENTVS COMPENDIARIE DESCRIPTI.

LIBER QVINTVS.

Cap. I.

Portolongonium ab Hiſpanis recipitur, à quibus fruſtrà Aſta tentatur.

1650.

AB Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, quo Principes in carcerem abſtracti ſunt, ad annum milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum ſecundum, quo Rex Pariſios ingreſſus, illinc Principes eruit, commotiones Galliarum varietate ſucceſſuum ſibi coherentium adeò catenatæ inter ſe fuerunt, vt nullum interuallum ſtylo permiſerint ad notitias externorum bellorum tradendas. Verebar enim, ne, ſi illarum filum abrumperem, turbarem potiùs, quàm inſtruerem legentem. Ideò mihi aptius viſum eſt horum trium annorum Gallicas

turbas

turbas ſine vlla interpellatione in conſpectum dare; deinde externarum rerum expoſitionem ad præſens tempus traducere. Certus ſcribendi continuationem, quæ illis dilucidandis profuit, iſtarum cognitioni nocituram non eſſe.

In Italia quartus iã fluebat annus, quo Galli in Portolongoniũ, & Plombinũ ſe intruſerant, quę mora Neapoli, Sicilię, & Sardignę euadebat infeſta; cùm vnionem, quam Regionibus Hiſpanorum maritimis Italiæ cum ijſdem Hiſpanijs intermedium mare conciliat, planè interrumperet. Decreuerunt Hiſpani hoc anno, Galliâ aliò intentâ, hunc acutum ſtimulum ex ſuis calcibus amouere. Ioannes Auſtriacus è Sicilia, & Comes Ognates Neapoli cum ſuis Claſſibus ſoluũt, nauibus, & triremibus tàm amplis, quàm confertis militibus. Multi Neapolitani Principes validas manus in ſuis ditionibus fecerant. Marchio quoque Caraffena Mediolani Gubernator varias cohortes de ſuo veterano Exercitu huic bello attribuit. Ab hac copioſa expeditione Italiæ Principes ſibi aliquid ſiniſtri timuerunt: In primis Genuenſes, quorum maritima iuriſdictio à commeantibus Finalenſibus vexata, ſicuti illos impulerat ad iura ſua armis tuenda, ità Hiſpanorum amicitiam offuſcauerat. In quam cùm liquidò nõ inſpicerent ad tantæ velificantis Claſſis nuncium, Arcibus ſuis conſuluerunt.

Videbantur etiam ab Hiſpanorum gratia Itali

Prin-

Principes deceſſiſſe, qui, quo tempore Galli Portolongonium oppugnarunt, neutros ſe dixerãt. Abhorrebant quippè Hiſpani iſtis neutralitatis declarationibus illud ſenſim remitti vinculum, quo aliàs Italici Dinaſtę ab ipſis attinebantur. Sed citò hæc dubia diſcuſſa ſunt. Nam prudenter Hiſpani amiſſarum rerum recuperationem, non recentes hoſtes quærebant. Claſſis in continentem Tuſci littoris, & Inſulæ Helbæ militẽ exponit, qui eodem tempore binis vacauit obſidionibus, Plombini, & Portolongonij. Plombinum debilius debiliori, & promptiori oppugnatione ſuperatur. Portolongonius maius faceſſiuit negotium aggredientibus. Circa hanc arcem Galli externam quamdam munitionem (cui ex dimidiatæ lunæ figura, quam mentitur, nomenclatura indita eſt) erexerant ſatis inſtructam. Hanc Hiſpani excellentis machinatoris opẽ (aggere ad arcis foſſam perducto) à reliquo corpore ſecluſerunt. Quod artificium arctauit obſidionem, & multo Hiſpanorum ſanguini pepercit, qui in illius expugnatione ferro, & aggreſſionibus tentata effuſus eſſet. Nihilominus ad tres menſes obſidio prouecta eſt, & vltrà extenſa fuiſſet; ni ſeditio militum deditionem maturaſſet nondum maturâ oppugnatione. Arx adhuc illibata à Nouilliaco Gubernatore fido, & eximio viro tumultu militari adacto Hiſpanis tradita eſt.

Mar-

Marchioni Villæ Cremonæ interfecto Sabaudiæ Dux comitem Verrucæ ſuffecit. Hic Comes Sabaudici Equitatus Locumtenentem à pluribus annis agebat, ad quam amplitudinem per omnes militares ordines aſcenderat. Viro bellis innutrito, & varijs militiæ experimentis probato; nihil in hac prouectione noui accidit, cùm iam propiorem ad iſtam ſupremam dignitatem gradum obtineret. Erat tamen hoc bellicum munus admodum conſpicuum, cui ſubijciebãtur duo veteranorum equitum millia, & tot interriti Duces diuturnę militię pignoribus clari; ita vt hic Sabaudicus Equitatus palmam tot pręlijs partam nunquam hoſti reliquerit. Et verè ſub hoc tempus extraordinaria virtus fuit admodum opportuna ad Pedemontem tuendum Gallorum auxilijs defectum.

Hoc anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo Portolongonij obſidio ab infeſtatione Pedemontij Hiſpanos ſubduxit. Marchio autem Caraffena Aſtam inexpectato aſſultu interuertere contenderat; ſed Padus gliſcens, ſicuti laborioſum hoſtilibus Copijs prębuit tranſitum; ità expeditum Vrbis fecit ſubſidium. Hiſpani hoc deiecti facinore limites Pedemontij abraſerunt, Brellam vſque prouecti Ciuitatem, eiuſq; viciniam populati ſunt.

Cap.

Cap. II.

Marchio Carassena Pedemontem expilat.

1651.

ANNO millesimo sexcẽtesimo quinquagesimo primo Italicæ Hispanorum vires nullibi dissipatę Pedemõtem vnâ mole prægrauarunt. Marchio Carassena ipsamet quæsiuit viscera ad Monçallerium castrametatus. Hoc Oppidum mollis fastigio cliui constructum in Taurini vicinia, à quo tria duntaxat millia ria recedit, illinc vallibus sensim decumbentibus, & collibus ad ostentandam feraciam surgentibus deliciosè obsidetur: Hinc proximi Padi, & planitiei latè diffusæ habet despectum. Consuescũt inibi Sabaudiæ Duces æstiuos ardores iugi flantis aurę spiritu fallere; ideò ędes Regias in collis vertice posuerunt, speciem muniti Castri procul exhibentes; cùm verè hoc palatium ad vna oblectamenta constructum nullã aliam habeat munitionem, pręter loci sublimitatem. Hic improuisus Carassenę aduentus cõmouit Prouinciam; affecit quoque expilationibus. Visus est in principio suorum motuum ad Pinarolum respicere, sed prudentissimus Mar-

chio, & belli, & negotiorum arte verſatus huc acceſſerat, vt eodem tempore, ſuorũ validitate armorum oſtentatâ, Sabaudiæ Ducẽ exterreret, & occaſione proximitatis vſus ſecum iniret cõpoſitionis tractatus: nihil verẽs, ſi potuiſſet Sabaudiæ Ducem à Gallis diuellere, ne tota Italia perquam facilè illos expungeret. Dux autem, Galliarum Regi tot neceſſitudinibus deuinctus, arma iniectis ab Hiſpano negotiationibus oppoſuit.

Comes Verrueç, & Marchio Sãcti Andreæ tenuium Copiarum Gallicarum Prefectus vniti in Hiſpanos iter fortiter capeſſunt, quos multis aduerſis prelijs afflictos vſque ad Mediolanenſis Ducatus limites inſectantur.

Per belli Galliarum Ciuilis tempora obſeruo Regi, & Reginæ adeò oppreſſis nullos ex amicis ad opitulandum accurriſſe. Galli tantâ charitate Hollandos iuuerant: Succorum geſta prouexerant: Luſitanorũ protectionẽ complexi erãt: Omnes Germaniæ Principes fouerant; nullum autem ex ijs grata ſtimulauit memoria vel minimam accepti partem referendi. Omnes æquo animo laborantem ſpectarunt amicum, an ex ſe ipſo reſurgeret. Quæ auxilia eò alacriùs ſuppeditari poterant, quò aduersùs rebelles deſtinata nullam ſatis legitimam produxiſſent Hiſpanis querelarum cauſam, & charitas omni culpâ vacuos mittentes feciſſet. Mantuæ autẽ Dux adeò

non

non appulit animum huic præstando Gallis officio, vt arma contra ipsos expediuerit.

Vnius Sabaudię Ducis fœdus cum Gallis initum, nec altissima Hispanorum eleuarunt promissa, nec Galliæ discrimina concusserunt, nec propriæ infirmarunt iacturę. Nullus ex tot fœderatis sanctiùs illo Galliarum amicitiam excoluit.

Consilium Ducis Sabaudię constabat Marchione Planitiarũ Cõsilij Capite: Magno Cancellario Morotio: Comitibus Philippo ab Alladio, & Vbertino à Moreta, Abbate Philiberto Scaliâ, Marchionibus Palauicino, & Sancti Thomæ à secretis, viris prudentissimis, & impenetrabili erga suum Herum fide, quorum sententia eò semper spectauit, vt fortuna Pedemontij ab illa Galliarum non dissociaretur.

Regis quoque causæ in Italia studiosè vacabat Seruientus in Regio Consilio sedentis frater, apud Ducem Sabaudię Christianissimi Legatus. Huic vni bellicæ curæ, & politica hærebant negotia; Præsidiorum in primis conseruatio in tãto rerum omnium defectu non minorem sollicitudinem, & prouidentiam exigebat. Hic Ducissam morum suauitate promerebatur, & rara per illud tempus fidelitate prouisiones bellicas adeò accuratè dispensabat, vt earum tenuitatẽ distribuentis compensaret diligentia. Nunquam cessantes Hispanorum machinationes prudẽter

diſcuſſit: nec rei familiari, nec defudatis parcens laboribus, vt expeditum, ac vtile opus apud ſuum Regem collocaret.

Cap. III.

Tridinum, Creſcentinum, & Caſale ab Hiſpanis expugnantur.

1652.

CARASSENA, quamuis ſuas petitiones armis euerberaſſet Sabaudiæ Dux, non quidē deſtitit totâ hyeme Duciſſę aures vellicare pollicitationibus, vt eā in Hiſpaniarū Regis deſideria perduceret. Sed Duciſſa fortiter reſtitit, omnibuſque votis rem communem iuuit, etiamſi è Pedemonte propè omnes Galliarū Copiæ cū Sancto Andrea in Cataloniam receſſiſſent, & penè deſtituta maximè ſibi timeret, accuratè delectum habentibus Hiſpanis in augēdo Exercitu defixis. Profectò iuſtus, & ex ratione fuit timor: Nam ſub Maij initium anni milleſimi ſexcēteſimi quinquageſimi ſecundi circumſtetit Caraſſena Tridinum, oppugnationemque iſtius fortiſſimi Oppidi, Pedemontis Propugnaculi inſtituit.

Comes Catalanus Alferius Gubernator ſub ob-

obsidionis inauguratione Taurini degebat, cuius aures statim ac primus obsidionis nuncius verberauit, cuestigiò illuc contendit; & licet omnes aditus hostilibus turmis obstructi essent, nihilominus medios hostes præteruolans in Vrbem se demisit, & milites præsidiarios ad Oppidi defensionem accendit. Dux quoque Sabaudiæ Copias in obsessorũ compulit subsidium; quæ ad hostium conspectum accedentes, & altitudinem valli, & hostilem Exercitum speculãtes ab impressione temperant; ne eam temerè sauciarẽt existimationem, quam tot fortitudinis pignoribus sibi vindicauerant. Præterquam quòd, si hę copiæ aduerso Marte elisæ fuissent, tota Regio victoris furori subijciebatur. Catalanum desperatio subsidij, tenuitas præsidij, atque valida Hispanorum oppugnatio pacta signare, & Vrbẽ hosti tradere coegerunt.

Hinc Hispanus Crescentinum expugnat, deinde Masini Castrum, eam Pedemontij partẽ admodum amplam, quę inter Duriam, & Padum iacet, vastitate deformans. Nam vnus Sabaudiæ Dux illo non pollebat Exercitu, qui posset Hispano obsistere.

Marchio Caraffena, quẽ in Pedemontio gesta ob validã propugnationem fatigabãt, ratus illustriora facinora, & minoris dispendij tentare se posse in Monferratensi Prouincia (vbi Mantuæ Ducis amicitia haud difficiles pollicebatur

diſcuſſit: nec rei familiari, nec defudatis parcens laboribus, vt expeditum, ac vtile opus apud ſuum Regem collocaret.

Cap. III.

Tridinum, Creſcentinum, & Caſale ab Hiſpanis expugnantur.

1652.

CARASSENA, quamuis ſuas petitiones armis euerberaſſet Sabaudiæ Dux, non quidē deſtitit totâ hyeme Duciſſę aures vellicare pollicitationibus, vt eā in Hiſpaniarū Regis deſideria perduceret. Sed Duciſſa fortiter reſtitit, omnibuſque votis rem communem iuuit, etiamſi è Pedemonte propè omnes Galliarū Copiæ cū Sancto Andrea in Cataloniam receſſiſſent, & penè deſtituta maximè ſibi timeret, accuratè delectum habentibus Hiſpanis in augēdo Exercitu defixis. Profectò iuſtus, & ex ratione fuit timor: Nam ſub Maij initium anni milleſimi ſexcēteſimi quinquageſimi ſecundi circumſtetit Caraſſena Tridinum, oppugnationemque iſtius fortiſſimi Oppidi, Pedemontis Propugnaculi inſtituit.

Comes Catalanus Alferius Gubernator ſub ob-

obsidionis inauguratione Taurini degebat, cuius aures statim ac primus obsidionis nuncius verberauit, cursitigiò illuc contendit; & licet omnes aditus hostilibus turmis obstructi essent, nihilominus medios hostes præteruolans in Vrbem se demisit, & milites præsidiarios ad Oppidi defensionem accendit. Dux quoque Sabaudiæ Copias in obsessorũ compulit subsidium; quæ ad hostium conspectum accedentes, & altitudinem valli, & hostilem Exercitum speculãtes ab impressione temperant; ne eam temerè sauciarẽt existimationem, quam tot fortitudinis pignoribus sibi vindicauerant. Præterquam quòd, si hę copiæ aduerso Marte elisæ fuissent, tota Regio victoris furori subijciebatur. Catalanum desperatio subsidij, tenuitas præsidij, atque valida Hispanorum oppugnatio pacta signare, & Vrbẽ hosti tradere coegerunt.

Hinc Hispanus Crescentinum expugnat; deinde Masini Castrum, eam Pedemontij partẽ admodum amplam, quę inter Duriam, & Padum iacet, vastitate deformans. Nam vnus Sabaudiæ Dux illo non pollebat Exercitu, qui posset Hispano obsistere.

Marchio Caraffena, quẽ in Pedemontio gesta ob validã propugnationem fatigabãt, ratus illustriora facinora, & minoris dispendij tentare se posse in Monferratensi Prouincia (vbi Mantuæ Ducis amicitia haud difficiles pollicebatur

impreſſiones) à Pedemonte ad Montemferratum ſe conuertit, & circum Caſale milites ſtatuens laxam primùm obſidionem inſtruit. Dux Sabaudiæ, etiamſi amiſſione tot locorum afflictus, animo præſumens in quanto periculo verſaretur Caſale, & quanta detrimenta Galliarum Rex accepturus eſſet in iſtius Ciuitatis iactura, ad quã propugnandam tot Exercitus, & tantã auri vim dilapidauerat, ad illius ſubſidium Copias delegat, quas Senatus Caſalenſis ab ingreſſu arcuit, iam ſui Ducis contagione afflatus.

Dux Mantuæ diſſimulatis negotiationibus de expulſione Gallici præſidij ab Vrbe Caſalenſi cum Hiſpanis conuenerat: has gratias aſſertæ toties Ciuitatis Gallis rependens; vt eos obſeruans bellis ciuilibus irretitos, laqueos geminet, & amicos ad vlciſcendum iniuriam malè paratos obruat. Hanc autem iniuriam vt honeſtè velaret, ſpecioſiſſimum euulgat obtentum; Metu videlicet impulſus, ne Hiſpani Caſale potirẽtur, decreuiſſe illud in ſui poteſtatem perducere, antequam in Hiſpanorum manus corrueret. Ille, qui vinculo obligationis tenebatur comparare copias, vt præſtò eſſet Gallis Caſale defendentibus, (ſi aliquod inſtare cognouiſſet diſcrimen) militẽ contrahit, vt vnitus Hiſpanis Gallos laborantes laceſſat. Ciuibus eodem tempore imperat, vt Ciuitate Gallos deijciant, quoſque iam per tot annos protectores habuerãt, immeritos

ritos hoſtes ſibi deſumant: & Hiſpanos, quos toties ſenſerant muros Ciuitatis tormentorum ictibus diſturbare, & Suburbia diripere, in amicitiam, ſocietatēque recipiāt. Caſtellum illis primùm ab empto Gubernatore proditur. Sānctus Angelus Progubernator Citadellā diù ſuſtinuit, & viriliter propugnauit: Sed à ciuibus, & Hiſpanis exteriora oppugnātibus circūuentus malę fortunæ res Gallorū vexāti inuictas manus, & inuictam ad id diei Citadellam dedit.

Copiæ Ducis Sabaudiæ à Caſalenſibus hoſtiliter repulſæ in Creſcentinū deflectunt. Vbi libratis bōbardis, cùm muri aſſiduis ictibus labefactarentur, Hiſpani Oppidū reddunt; ſecundùm quā deditionē Maſini quoque Caſtrum illis reſtituunt.

Cap. IV.

Obsidio Barcinonis, Dunicberthæ, & Grauelingæ ex voto Hispanis succedit.

1652.

GRAVIVS intertrimentū in Catalonia acceptū est, quæ tota Gallis deperijt. Detentioni Principum succesſerat Marsini captura, qui in arce Perpiniani custodiebatur: mox, liberatis Principibus, libertas quoq; Marsino reddita est. Hæc Marsini iactura nullo suo merito illi acciderat, qui ad id diei fidelē operā Regi nauauerat, sed amicitiæ dabatur, quæ illi arctissima cum Principe Condęo intercedebat. Veritum est consilium Regium, ne, euulgatā Condæi detentione, Marsinus vel ad Hispanos deficeret, aut cum rebellibus se iungeret: Quare decretū fuit ipsum costodiri, vt hoc periculū præuerteretur. Cum libertate non pristini honores modò illi restituti sunt, sed, vt iniuria accepta aliquo insigni compensaretur beneficio, & ornatus amplitudinibus animus Regiæ pressiùs seruituti deuinciretur, Catalonici Exercitus moderatio ei decernitur, vt etiam in amplissimę Prouincię dominatu occupata mens illic sibi pla-

placeret, & præsentibus potiùs caperetur honoribus, quàm certa pro incertis mutans, defectione tam claram dignitatem in se ipso dehonestaret.

Marsinus traditam Prouinciã infideliter initã pessimè obiuit. Potuisset arcere, vel etiam opprimere Hispanos per tenues montium aditus Barcinonem descendentes; quorum temeritati parcens, se Barcinonẽ retraxit, vexaturus potiùs, quàm defensurus Ciuitatem: vbi tanta dedit infidelitatis ĩdicia, vt Margaritus, & cæteri Duces sepiùs agitauerint, an rursus eum in carcerem includerent. Cui consilio non institerũt, pluris dignitatem, quàm operationes æstimantes. Præparabat Marsinus necessaria ad suũ recessum in Galliam, statim ac monitus esset à Condæo: ideò versabat animos Ducum; interuertebat pecuniam ad militum stipẽdia destinatam: nihil omittebat, quod Exercitui, cui præerat, officere posset. Deinde certior factus de Cõdæi in Burdigalam recepta cum satis magna Equitum turma, pecuniã, & pretiosiori supellectile ab Exercitu excessit, in Vasconiam trãsiturus: quò quingentos Equites duxisse fertur.

Primus fecit Marsinus, vt Prefectus Exercitus diceretur militiæ desertor; ità vt illud grauissimum peccatum, quod ad id temporis gregarijs duntaxat militibus adscribebatur, nunc primùm ad supremum Copiarũ Moderatorem referri

ferri poſſit. Inter alia commoda, quæ Condæus Hiſpanis præſtitit, hoc vnum fuit Cataloniæ Generalem ad ſe traducere: & Principatum illũ Hiſpanorum aggreſſionibus Gubernatore denudatum obtrudere.

Tunc Hiſpani propiùs Vrbem peſte deuaſtatam caſtrametati ſunt; mare etiam inſederunt claſſe; nihil vltrà molientes, quàm arcere cõmeatus, & Ciuitatem in vltimas famis anguſtias conijcere. Cuius tandem deſiderij compotes facti ſunt; ſeriùs tamen, quàm cupiebant; nam vſque ad extremum propugnatores cum omnibus contenderunt calamitatibus: Recens enim Neapolitanorum exemplum eos deterrebat; ità vt vltimum potiùs malorum pati, quàm ſe dedere, ſæpiùs deliberauerint: nec defuerunt, qui ob loci viciniam Saguntinorun exemplum propoſuerint amplectendum.

Facilitas indulgentiæ mouet Populos ad ſæpè peccandum, & de facili inuitat ad pœnitentiam. Crudelitas ſupplicij à frequentibus prohibet ſeditionibus; ſed ægrè etiam ad veniam implorandam diſponit. In hoc vltimo bello Galliarũ ciuili multæ Ciuitates rebellarunt. Nulla rebellionem obſtinauit. Cum primùm bellici euentus malè proceſſerunt, pertinacia fracta eſt, & illicò Regis benignitatẽ, de qua certi quodammodo erant, interpellarunt. Catalonia autem vſque ad extremum ſeruauit conſtituta: quamuis bello

excſa

exesa; & multùm fatigata vexationibus nunquã eam induit mentem Hispanos rogandi, plus timens pœnæ, quàm sperans veniæ. Vltimâ demùm necessitate cogente, ea vicit pars, quæ mitiora interpretabatur; scilicet Hispanorum seueritatem experiri, an plicaretur: & plenissimam veniam adepti sunt. Margaritus tamen cum cæteris rebellionis Principibus toto excesserunt Principatu: parum credentes Hispanorũ indulgentiæ, quæ Neapoli omnia factionis Capita decusserat. Barcinonis deditio secum traxit vniuersum Principatũ, dempto Ruscinonensi Comitatu cum validissimis arcibus Rosæ, Perpiniani, Illiberis, Salsæ.

Eques Ferreria se accinxerat ad subueniendũ Vrbi duodecim rostratis nauibus, cõuerteratq; ad se omnes Europę oculos, at cũ in cõspectũ classis Hispanicę se dedit, ausus nõ est aleã subire. Defecit cum viribus animus: proras in Prouinciã cõuertit. Rex Portugalliæ omnẽ sustinuit inuidiã istius iacturę. Catalonię receptio nulli magis, quàm ipsi interminabatur. Hoc enim bellũ à Portugallia retrahebat Hispanos. Attamen Lusitanus quietus, diues, florens, nauibus pollẽs ad frequentes nuncios Barcinonis cadentis nunquam expergiscitur. Ex conseruatione istius Ciuitatis suas liquebat dependere felicitates, & à casu omnes inuehi ruinas. Verumtamen immotus stetit; vel tantillam classem

si

si misisset; quę vnita Ferreriæ subsidiũ tentasset, defendi Ciuitas poterat. Nunquam enim Hispanica Classis ea fuit, quæ tanti momenti responderet obsidioni. Longâ etiam morâ, & maris iactationibus defatigata potuisset haud magna mole dissipari.

Consilium Regis nemo satis exactè speculatus est: multi id auaritiæ dabant; ipsum scilicet auro cogendo intentum erogationes auersari: multi ad politicen referebãt: vereri scilicet hũc Regẽ, ne pax coiret, cui nunquam assensissent Hispani, dum arma sua profeciſſent; qui è contra suorum armorum spe frustrati, cum Gallis pacem enixè cupientibus conueniſſent. Quæ speculatio tantũ à veritate aberat, vt potiùs Barcinonis expugnatio prodroma pacis ab omnibus reputaretur. Dum Galli sine magna fugillatione Barcinonem tradere Hispanis non possent; & Hispani sine istius Ciuitatis recuperatione honestâ pace defungi nequirẽt. Quæ vna difficultas omnib⁹ pacis cõclusionibus intercedebat. Eodem anno milleſimo sexcenteſimo quinquageſimo secundo exciderunt Galli Dunicherchâ, & Graueling â. Duo fortiſſima munimẽta auro, sanguine, & inusitatis conquisita laboribus Hispani sedentes recipiunt. Graueling a raro milite præsidiario defensa, Gubernatore destituta post breues obsidionis dies Hispanis cedit.

Dunicherchæ oppugnatio cariorem ijs stetiſſet, ni bel-

bellorum ciuilium grassationibus duo inopinata mala adiũcta essent: vulgati quippe in præsidiarios milites morbi ferè omnes consumpserãt, & Angli Classem Gallicam obsessæ Vrbi subsidia deportantem corripuerant, tribus demptis nauibus Flesingam delatis, totam corrumpentes, Vnde Marchio de Estrades Gubernator, licet percelebre suæ virtutis in hac sustinẽda obsidione faceret experimentum, tot hostibus eodem tempore lacessitus, peste, Anglis, Hispanis, euitare non potuit, quin Vrbis remissione iniquæ temporum rationi se conformaret.

Cap. V.

Arcurtius Aquitaniam deserens Erisacum adit Angolemus iussu Regis in Carcerem trahitur.

1652.

IN Aquitania eẽdem felicitatis tenorem seruabant incepta. Ab Arcurtio Aginnum ad Regis obedientiã pertractum, & propè omnia Oppida Prouĩciæ Burdigalã vsque Regijs armis perdomita: ad quã Ciuitatem postremum Condæistarum perfugium accedẽs Arcurtius nuncium cum epistola misit, inuitans ciues ad resipiscendũ, & Regi se restituendos,

Nun-

Nuncius Contij diligẽtiâ ab Vrbe excluſus Comitis expectationem deluſit, qui vſque ad Medulorum litus excurrens, oppugnatione Burdigalæ reliquâ, Aquitanicum bellum profligauit; Bratque res procul dubio in emersu integrę victorię: cùm Arcurtius ad id temporis firmus in Regis obedientia, morbo communi Galliæ Principes tunc vexante correptus, palmã, quam manu tenebat, repentinâ deliberatione proiecit.

Præfulget Gallia multitudine Principum, qui Regiam incomparabili complent nitore: bello quoque vtiles, cuius in primis ſtudioſi erudiunt adoleſcentiã equo inſidere, & arma temperare, Bellum, cùm domi non habent, exoticum quęrunt, vt ſcientiam confirment experimento, & animum inter certaminum diſcrimina ſtabiliant. A Rege imperio Exercituũ præpoſiti inſignia, & multa vnico ductu pręſtãt opera: loca capere, aciem ſtruere, milites exemplo ad pugnã incendere, quorum reuerentiam ſibi adſciſcunt, non duntaxat virtute, ſed ortus excellentiâ. Nam Gallos & capit, & ſatisfacit nomen Principis, quibus innatâ quadam propenſione auidiùs, quàm cęteris Ducibus obſequuntur.

Sed hæc ornamẽta Galliæ Principes ſępiſſimè dehoneſtarunt, & Regnum pluribus affecerunt detrimentis, quàm incrementa promouerint. Omnes ſeditiones Galliæ vſque dum à Principibus auſpicatæ ſunt. Hi, cùm ad Natales ſuos

mentem

mentem retorquent, magis imperij, quàm obſequij memores parere neſciunt, quia ſibi videntur ad imperandum orti. Multis etiam egent fomitibus, vt excellens Principis nomẽ ſuſtinere poſſint: Hinc procedit, vt quotidie ad nouas dignationes anhelent, & penſitationes aucupẽtur; quibus tandem cùm Rex par eſſe nequeat, noua moliuntur, vt iniectâ bellorũ ciuilium neceſſitate exprimant, quæ pacatis rebus exigere nequeunt.

Omnibus penè ætatibus vidit Gallia Principes aduersùs ſuos Reges armatos conſtitiſſe. Certò nec Regnum tot ſuccubuiſſet calamitatibus, & multò latiores prolataſſet limites; ſi Principes auctoritate, quam apud Subditos habent in Regni perniciem abuſi, lubricos illorũ animos varijs obtentibus ad tumultus non exciuiſſent.

Comiti Arcurtio demandatũ erat Alſatię regimen: eidemque ex Lotharingis Principibus ortum ducenti (ideò in Condæum nequaquam propenſo propter veteres iſtarum duarũ domuũ ſimultates) Regina armorũ quoq; adminiſtrationem crediderat. Arcurtius viriliter, & ſtrenuè Regijs partibus ſatisfecit vſque dum, aut vanis quibusdam vmbris agitatus metuit, ne Alſatiæ præfectura bello occupatus à Rege abdicaretur: aut in illo Galliarũ turbine proſperã aurã offendere poſſe ſperans, ad prælucentem fortunam

nam ſibi conſtituendam animum adiunxit. Qui ob egregia facinora merebatur præmia, ſimulauit timere pœnas; vt cauſam aliquam receptui, quem meditabatur, prætexeret. Igitur ab Exercitu ſe proripiens, Briſacum adiuit, plenam auctoritatem in Alſatiam, & Philippiburgum cupiens diffundere. Hiſpanis, Imperatori, & vicinis Principib⁹ gratus ominabatur ſibi maiorũ ſuorum, qui quondã Auſtraſię imperitauerant, renouare dominationem. Et profectò non niſi Cardinalis induſtria, & vi armorum ad obedientiam reuocatus eſt.

Cap. VI.

Detentio Cardinalis Rethij. Cauſæ.

1652.

REGI, & Reginæ nihil prius erat, quàm immenſam illam Pariſiorum turbam in officio continere. Reſederat quidem procella, & quies ſe per omnes Vrbis angulos diffuderat; veruntamen timendum erat, ne reſiduis aquilonaribus ventis, qui flare non deſinebant, fluctus rursùs attollerẽtur; præſertim cùm edicta ad pecuniam cogendam proferenda eſſent, & belli neceſſitas multa proponeret, quæ Populis

lis parùm accepta, Perſistentibus ſtimulis, potuiſſent tranquillitatem ámoliri

Hinc fiebat, vt multi Cardinalis Rhetij operationes criminarentur. Qui & ſi ab omnibus ſeditioſorum amicitijs ſe collegiſſet, multaque & Regi vtilia, & quieti publicæ neceſſaria edidiſſet, & maxima cũ præcautione actiones ſuas tum diſpenſaret; nihilominus non omnes nubes Regiã mentẽ obſidentes adhuc diſcuti poterãt.

Præcipuè cum in illis tumultibus non pauci æmuli à Rhetio contracti multoties Regi repeterent, diuturno vſu comparatum eſſe, bella ciuilia omninò nõ reſcindi, niſi tandem pernicies in eos relabatur, qui commotione rerum illã in alios intentarant; ità vt ſeditiones ibi finire debeant, vnde primùm exorſæ ſunt: Cardinalem Rhetium purpuræ faſtu, & amicorum numero fretũ media in Vrbe ſpatiari, Cardinalitiã dignitatẽ in præteritorum facinorũ triumphũ venditantem ciuibus ſuis: Huic vni hactenùs benè ceſſiſſe ciuiles motus, ſi ab illis, accepto premio, temperaſſet: Sed, cùm à ſeditionũ turbido hunc ſplendorem eduxiſſet, ſpes ſuas in tumultibus magis, quàm in quiete collocaſſe. Odium in Cardinalem Mazarinum nullâ ab ipſo diſſimulatione contegi; ità vt ex iſtius ad Aulam reditu aliquid noui certò præſagiretur; dum ex his duobus Cardinalibus ſe inuicẽ inceſſẽtibus vnus aurâ populari, alius Regio niteretur fauore.

Ab Aulæ obſequio ſe abſtinere, ne Populi beneuolentiâ excideret, cuius ſtudijs ſperabat poſſe aliquando euchi, & Regi, Regineque ideò charum, quia neceſſariũ fieri. Exprobrare Parlamentarijs ſociorum exilia, & eos vrgere, ne illa paterentur: Subornare Creditores publici ærarij, vt pecuniam eis debitam vel tumultuosè exprimerent: amicitiam cum proſcriptis, & ſeditioſis nequaquam eiuraſſe. Hæc Regi ſæpè renũciata eius aures pulſantia, non exiguam moleſtiam animo ingerebant.

Princeps Thomas à Sabaudia, qui tunc primi Miniſtri munus obibat, vt Regi gratum præſtaret officium, & Rhetium ab indignatione Regia eriperet, amicorum officijs eum compellauit, vt Pariſijs abſcederet: oſtendens hoc vno conſilio duntaxat poſſe Cardinalem Regi gratũ euadere, apud quem grauiter offendebat, perſeuerans populari beneuolentiâ Aulã territare: ipſum tunc traducturum eſſe animum ſuum, & ſincerum patefacturum, cùm plebis plauſuum oblitus ab omni tumultuum ſuſpectione remotiùs degeret.

Sed Rhetius, amicorũ admonitiones repudians, exclamabat, neſcire, quò ſe verteret, cùm leues ſuſpiciones vanis coloratæ prætextibus certiſſima ducerentur crimina. Pigmẽtata eſſe, quæ obijcerentur, nullam veri producẽtia ſpeciem, præter ſuorũ inimicorum liuidam notam. Non poſſe ſe niſi calamitoſam ſui conditionem de-

deflere ; cùm egregiè facta non modò ſibi Regiâ non pararent beneuolentiam , ſed neque indignationem mollirent . Hanc popularem in ſe inclinationem , quæ vnus erat criminandi obtẽtus , totã ſemper in Regis commodum deflexiſſe . Vt ſileret de antiquis , quæ cùm in abdito eſſent , in malignãtium erat arbitrio , ad quam vellent partem , illa detorquere.

Petere duntaxat, vt reproducerẽtur aduersùs Principem acta Condæum , quem viribus, auctoritate , fauore Populi tumentem , dum omnes Regis ſerui muti , & ſtupentes obſeruarent , ſe vnum illius obniti potentiæ auſum eſſe ; Initos cùm Hiſpanis arcanos tractatus Reginę enucleaſſe. In Parlamento cum non exiguo vitæ diſcrimine illi contranitentẽ ſediſſe . Quòd ſi res iuxta ſperatum non cecidiſſet , illis tamen motibus incolumitati Reipublicę conſultum fuiſſe ; Cùm Princeps , quantam vim oppoſitam haberet inſpiciens , Parlamenti inſuper , & populi obiecta crimina deteſtantium gratiâ ſpoliatus , multorũ amicorum , & bonæ famę , quæ tanti valet in ſeditionibus, iacturâ factâ, ſe ex Vrbe proripuerit.

Cùm exinde ſupra ſubditi conditionem ſentiret ſe purpuræ gratiâ , arctiori nimirùm vinculo ad Regis ſeruitium obſtringi : nullam non prętermiſſe quidem occaſionem , ſed omnes indagaſſe , quæ grati animi teſtimonium edere poſſent . Poſt Oquincurtium fuſum , cùm Princeps

ouans Parisios ingressus agitaret suas intendere copias, & belli necessaria, parare non exiguam remoram ijs deliberationibus iniecisse: præcipua Aurelianensis consilia ad rerũ intenta perniciem vel iniectâ morâ debilitasse, vel penitùs interuertisse; ardorem Parlamentariorum monitionibus temperasse, & suos ex illo ordine amicos clam exprobratos à violentis consilijs compescuisse.

Huic eidem Parisiensi turbæ, cuius aduersarij sui se concitatorem traducebant, nullum ipso diligentiùs, & efficaciùs obedientiæ memoriam impressisse: tùm in priuatis colloquijs, tùm publicis, vel familiares cum amicis conferentem sermones, vel concionantẽ se refractarios obiurgasse: obsequium Regi debitum, vt amicum clientibus, vt pastorem populo, vt verba Dei proferentem vniuersis incussisse. Neque hæc, quæ proferebat, in angulis latere, vel nube cogitationum inuolui [vt erant illa, quorũ à suis inimicis insimulabatur] sed in publicum delata vniuersi Populi testimonio produci: Ità vt officia sua prosperis militarium Ducum facinoribus vtilitate Regis, & commodo præcelluerint.

Amicitijs seditiosorum renunciasse tanta cũ destinatione, vt nunc aliquorum inimicitię præcauendæ sibi essent. Sedulò operam dedisse, ne cùm egregijs erga Regem factis aliquâ infidelitatis

tatis vmbrâ diffunderetur, ne opacitatis opportunitate ab aduersarijs criminum materia compingi secretò posset: stupere ita ab eorum artibus Regium animum obsideri, vt gesta sua præsenti rerum tranquillitati admodùm proficua, quæ toties Regis auribus obstrepuerãt, nequeant in illius mentem descendere. Suo operi cõmissę Ecclesię administrationem inhibere sibi ab Vrbe discessum, ni vellet Regi parendo Dei refractarius fieri. Aliquo temporis interuallo sperare intemeratã obedientiam, & incorruptã fidem (ęmulis ob ficta in se delicta erubescentibus) à Rege probatum iri.

Rex, cùm leuia Cardinalis animũ malè vires suas dimetientem exasperarent, vltimò decreuit hunc tumultuum, vt iudicabatur, fomitem vi subducere, & clementiæ non succedenti rigore sufficere. Haud facilè tamen erat hunc virum comprehendere; imò periculosum aduersùs eũ vim adhibere, quem rota Ciuitas suspiciebat. Inter hæc casus obtulit, quod ars venabatur.

Rhetius, qui facũdia præstabat, decreuit cõcionem habere in Ecclesia Sancti Germani die Domini natalitio. Regina significauit Parocho velle se interesse cõcioni. Rhetius hanc nactus occasionem Reginæ gratias agendi ob statutum in se honorem Luparam petijt perhumaniter à Rege exceptus, & vsque ad Reginæ cubiculũ, quę casu lecto decumbebat porrectissimo vultu per-

ductus

rum Cardinalis postulabatur: asserens non decere aliud Tribunal, præter Pontificiũ, in Cardinalem inquirere: quæ prouisio irrita cecidit, inhibente Rege Marinum in Solum Regiũ pedẽ immittere, & conquerente, quòd, cùm Innocẽtius X. Summus Pontifex nihili feciſſet pudenda edicta à Parlamento Pariſienſi in Cardinalem Mazarinum producta, vellet nunc protectionis velamine Rhetiũ contegere, quòd ille Regi officioſus, hic infenſus haberetur.

Interea multa edicta ad eliciendam pecuniam ſanxit Parlamentum, & Computorum Camera, ne vno quidẽ ex Conſiliarijs diuerſum muſſante. Vnus Cardinalis Mazarinus Rhetij detentionẽ apud Regem exarata epiſtola deplorauit. Fidẽ habẽte nullo id ſincerè agi, cùm è contrà captiuitas Rhetij honorificum illi in Pariſiorum Vrbem regreſſum inolita fuerit; æmulo enim depreſſo, viſus eſt Mazarinus ouans Ciuitatem ingredi, non tàm Aulicorum, quàm Ciuiũ hilaritate exceptus. Adeò facilè mortalium amor in odia degenerat, & ſimultates in amicitiam commigrant. Vnoquoque temporum viciſſitudinibus animi affectiones accommodante.

Promulgatis edictis cogitur pecunia; Amici, & Regi deuoti longo tẽpore muneribus ieiuni beneficijs reficiũtur. Miles conſcribitur: parãtur Exercitus: belli opportuna conquiruntur. Exercitus Guiẽnenſis Præfectura, Arcurtij re-

cessu vacuę Dux Candalus Epernonij Filius substituitur. Hic armis, & negotio obnixam operā ad Regis commodum nauauit. Veteres suę domus amicos, quos Natura Patris ferox asperauerat, morum suauitate, officijs, & placiditate sēsim leniuit, & in suas, Regisque partes perduxit. Nihil interea armis parcendo variis secundis prælijs copias Marsini, & Balthasaris mutilauit.

Balthasari oppositus Equitē Aubeterram, qui illum totâ hyeme incessiuit: & ipsius hyberna angustauit: receptione multorum locorū emolumenta hosti detracta sibi attribuēs, copias suas refecit, & auxit, ac ex parua Equitū turma, qua bellum inceperat, iugi nouorum militū auctario validam legionem contlauit. Monsegniurū firmum Oppidum Candalo deditur. Salartenses ciues à Gubernatore vexati, ipsius morte, & totius præsidij captiuitate se, & Vrbem ad Regiam redimunt obedientiam.

Hisce successibus Burdigalenses Cines Regis, & Cādali studiosi, præuidentes Contij, & seditiosorū emasculatos animos, varias molitiones ordiuntur, vt Ciuitatē ad supremj Domini obedientiam perducant: quæ etsi spératum finē non attigissent, in ipso tamen casu non vanā felicioris exitus spem fecerunt, dum obseruaretur ciuiliorem Populum penè vniuersum pro Rege sentire.

Burdi-

Burdigalæ tyrannidem exercebat factio quædam ex omni hominũ colluuione conflata, quæ, quia initio seditionis cõsultationes sub vlmo inibat, Vlmista vocabatur. Hęc Contio, Marsino, & reliquis Cõdęi Ducibus hærebat: Portas custodiens: excubias collocãs: reliquam premẽs Ciuitatem multitudine, & auctoritate, quã sibi arrogauerat. Hæc tenaciter semel constituta custodiebat, Regios videlicet non admittendi.

Imò, vt pacis conditiones desperãdas faceret, legationem iussit ad Cromuellũ Angliæ Tyrãnum, implorans subsidia aduersùs Gallię Regẽ. Sed Cromuellus iam Cardinalis Mazarini officijs lenitus (qui insuper constituerat vacillantẽ suam dominationem Gallorum potiùs amicitiâ firmare, quàm hostilitatem potentissimi Regni Anglię proximi in malè stantem prouocare) recisâ auxiliorum spe Legatos remisit.

Hispani nitebantur hanc Burdigalæ seditionẽ fouere; eamque iuuabant pecuniâ, quæ magis in promptu erat, quàm arma, iam ad gentilitiarũ Prouinciarum tutelam distributa. Sed pecunia à multis contrectata fatiscebat, antequam in belli vsum collocaretur. Nauale quoque Classem in Biscalia adornauerant, vt Burdigalensiũ postulatis respondercnt, quę, si in tẽpore adfuisset, procul dubio moram iniecisset concordię. Sed Classis Gallica Garumnam iam subiuerat, aditus insederat, erexerat munitiones in Insula oppor-

tunè

tunè in aluei medio ſita. Quare Hiſpani ex nũcijs iſtius expeditionis conſternati tenuẽ Claſſẽ ſuam aliarum nauium aggregatione munire cõtenderunt, ne eam in certum periculũ darent; ſi adcò imbecilliter inſtructa contra hoſtem nauigaret. Interea extrahitur tempus: & factio Regia proſperis euentibus ſumens animum, & vires ex conuerſione diſſentientium, quibus ſecunda, & æqua tandem placuerunt, ſuſpiratũ facinus reddendi ſe Regi conſecuta eſt.

Vnus ex grauioribus ictibus, qui pertinacem Burdigalenſium mentẽ loco dimouerit, vel potiùs loco motam in priſtinam ſedem repoſuerit, Comitis Ognoni conſilium fuit Regis gratiam recuperandi, Broagio fortiſſimo Munimento maria proſpectante Regijs tradito, in cuius arcis vicinia Burdigalenſes maximum ſuorum decretorum præſidiũ conſtituerant: poſt cuius deditionem vndequaq; Regijs armis circumuenti, terra, mariq; excluſi ſerió rebus ſuis cadentibus cœperunt conſulere.

Dux Vandomi maris Præfectus Clauſtra Garũnę, quãuis latiſſima, penitùs obſtruxerat; Caſtellis in Inſula erectis, nauibuſq; ita diſpẽſatis, vt vtramq; ripam obtinerent. Vnde Hiſpani Burdigalam penetrare non poterant, niſi terra, mariq; tormentorum ictibus laceſſiti. Nec cõtentus aquarum dominio Vandomus, terreſtres etiam Vrbes ad fluminis ripã cõſtructas, à Cõ-

dęiſ-

deçiſtis munitione obuallatas inuadit, ſubigitque Lormontum, Burgum, Liburnam, dimiſſis Hiſpanis, qui illic excubabant: Hibernenſibus verò authoratis. Naues etiã ad bombardę iẽctum Vrbi appropinquauerant, & Candalus à terra exercitum propiùs admouerat.

Burdigala hoſtiliter cincta famis incommoda perſentiebat. Vlmiſtæ auxiliorum ſpe deſtituti, ne extrema experirentur, ſenſim ad ciues benè ſentientes accedunt. Seditioſi militiæ Duces exauthorantur: noui quieti cupiẽtes adſciſcuntur: omnium ſententiæ ad pacem collimant: ligacula rubra proteruiæ indicia, in alba obedientiæ teſſeras, commutantur. Quos inſita erga Regẽ obligatio non admonuit obedientiæ, neceſſitas ad obſequium pertraxit. Parlamentũ Regis imperia ſecutũ Aginni ſedebat, exiguo Senatorũ numero Burdigalæ ſuperſtite ſine conſilio, ſine auctoritate. Vniuerſalis ciuiũ vocatur congregatio, quæ decernit Regi parendum. Nuncios allegant Vandomo, & Candalo, de pace acturos, quæ, etiamſi à Marſino tergiuerſante aliquandiù tardata, ad vltimum à clementia Regis cum vniuerſali venia impetrata eſt. Contius cum Sorore Longauilla, filio, & vxore Cõdæi excedit. Regij Duces inter Ciuium acclamationes in Vrbẽ conuchuntur, vbi ex Regis imperio conſtruuntur munimenta, non tam ad externam vlm arcẽdam, quàm ad Populi adeò ex leuibus cauſis furen-

rentis cohibendam insaniam. Balthasar cum sua turma Regis stipendio se mancipauit. Prouincia quietem haud dubiam sortita est.

Guiēna bis pacata tertiò rebellauerat, quia nūquam domita. Rebellionē condonare est maximum clementię munus à Principe subditis impertiri: At cum ipsa venia pristinam libertatē remittere, impotentiæ argumētum est. Libertas semel degustata acutissimū fit rebellionis irritamentum. Consultissimum quidem est subditos non perdere: imō multitudo Ciuium peccantiū debet Principem ad conferendam veniam disponere, ne angustet dominiū suum tot subditorū mutilatione. Iis veruntamen tollenda ansa rebellionis est: Praualtas animi coercenda, vt paulatim degustet obedientiam. Arces, Castella, præsidiarij milites populosam, & ceruicosā Ciuitatem duntaxat poterant submittere. Burdigalæ hoc frenum semel impositum officiosam Regi suo habuit: sine sanguinis effusione, sola ostentata potentia, indictoq; terrore inquietarum mentium æstum leniuit; Ciues à vexationibus tolerandis, in quas vltrò impingebant, Regem à continuis suspicionibus, & perpetuo armorum procinctu absoluit.

Cap.

Cap. VIII.

Bellagarda Regijs deditur. Rocroia ab Hispanis superatur. Galli Mussonium, & Sanctum Menoldum capiunt.

AQVITANICVM bellũ adeò enixè à Regijs armis procuratũ, non ita Regni Gallici vires auerterat, vt aliæ partes Hispanis finitimę, vel Condæi præsidijs obtentæ vacarẽt; Nam per hyemẽ Cardinalis Mazarinus opportuna belli sollicitè contraxerat: haud ignarus quãtum è Reipublicæ salute esset, supplementis firmare copias: peritos Duces ad Regis seruitiũ pellicere, & veteranos milites authorare. Non enim duntaxat æstimãdus erat Hispanus Hostis; sed Princeps Condęus, qui haud modicã Regij exercitus partẽ secum duxerat, validas Campaniæ arces insederat: In omnibus penè Regni Ciuitatibus, & Togatos, & militares viros sibi cõiunctissimos habebat; Parisijs verò necessitudines summæ cũ Parlamentarijs, Ciuibus, nec nõ etiam Aulicis illi intercedebant; ita vt non modò Regis consilia resciret, præsidia arcium cognosceret, quãtæ essent Exercitus vires liquidò expenderet; sed etiam malè animatos, & factiosos sibi cõseruaret, præteritas calamitates, & seditio-

ditiones posse rursus inuehere non diffidens.

Res tamẽ hyemali tempore non illi ex sentẽtia cesserãt: Regij quippè Duces illius hyberna infesta admodum reddiderant, nec paucas copias libauerãt. Comes Nermonsterius Colignij Cõdæi Legati manum dissipauerat, ipso Legato cũ multis alijs Ducibus, & militibus ĩtercepto. Qui conflictus mille veteranos milites Condæo absumpserat. Comes Brolia superato Oppido Eiteræ septingentos pedites, & octoginta equites ad deditionem coegerat: Dux Vandomi Bellagardam adeptus mœnia à fundamẽtis disturbauerat: omnem spem Condęo rescindens, vel armis, vel pacis beneficio ipsius arcis potiundi.

Legiones, quæ Bellagardę obsidionem consũmauerant, ad inflandos Campanię Exercitus extemplò festinãt: Vbi Marescalchi Turenæ, & Seneterrę maturè ex hybernis egressi Retelo Ciuitate Cãpanię maximè nocuâ (cum insidiæ improsperè succederent) promptis operibus Condæi præsidium exturbant: mox cum Condæo ipso omnibus nondum Copijs vallato conflictari nituntur; Sed iste opportuno ad periculum diuertendum syluę munimento vsus est.

Regium tamen cõstitutum hoc anno nihil vltrà collineabat, quàm hostiles motus spectare, attentatis ãteuenire, insultus præuertere. Dicebat Rex egregium facinus suos Duces præstaturos esse, si Condæo, & Hispanis facultatem

ope-

operandi eripuiſſent. Nam, cùm à tergo Burdigalenſe bellũ laceſſeret, vbi debellare cõſtituerat, voto defungi ſibi videbatur, cùm Hiſpanum ex Flandria in Galliam ducentem ſtitiſſet. Ideò Mareſcalchis de rerum sũma decernere nõ permiſerat: Satis compertum habens ex Copijs, quę multis in locis Hiſpanorũ nomine cõſcribebantur ab eorũ Exercitu Gallicum numero ſuperatum iri. Nec rumor publicus eum fefellit: nam Condęus, & Hiſpani vnà coniũcti triginta hominũ millibus explicatis, inſtructâ acie in Picardiã mouentes, ad Somonã fluuium caſtra locant, Gallico Exercitu ad duas leucas tendente.

Condæus animo præſumpſerat Exercitum in intima Picardiæ inferere, & Pariſiẽſi Vrbi, quãtum fieri poterat, propiùs admouere: ſperans non modò Picardiæ Ciuitates, ſed ipſam Lutetiam ad famam ſuorum armorum in nouos motus erupturam eſſe: in quam ſententiam Hiſpanos adduxerat, magnificans amicitias quas in Gallia profitebatur. Res tamen tot agitata cõſilijs longè à voto cecidit: Nã Pariſijs non modò nihil motum eſt: quin imò Regij Exercitus Ciuitatis opibus vltrò adiuti ſunt. Amici Cõdęi ne Vrbis quidem mœnia aſpexerunt: tantũ abfuit, quod eã intrare auſi ſint, deterriti à præſentia Regis, & vnione Ciuium ſtatuentiũ certam quietem incertis motibus non corrumpere.

Re-

Reliquarũ Ciuitatũ beneuolentiã malè eblandiebatur Condæus, direptione, & incendijs omnia deformans. Sed præ cęteris Turenæ, & Seneterrę ſolertia Principis conſilijs occurrit; qui obijcientes Exercitum probis ornatum militibus, ità diſponebant caſtra, vt ab inceſſione tuti ſine pugnę experimento hoſtis eluderent deſtinata. Rex etiam, vt alacritatem militum exciret, adiuit Exercitum, qui in centum Equitum turmas, & decem, & octo peditum agmina diductus ad pulcherrimam, & horribilem ſpeciẽ exhibendam eum excepit. Rex voluptuosè contemplatus ordines, & diſpoſitionem caſtrorum in medio copiarum pernoctauit: mox diluculò ſolatus ſpectaculo militiæ tanta promittẽtis Pariſios reuerſus eſt.

Tentarũt Hiſpani varias Picardię Vrbes obſidione cingere, ſi præſidio vacuas offendiſſent. At Turenæ diligentiâ eorũ tentamenta euanuerunt. Oculos primùm defixerunt in Corbiam, quæ totam Picardiam, & ipſammet Lutetiam in manus Hiſpanorum recidens peruſſiſſet: Hanc Comitis Scõbergij ingreſſus à periculo ſubduxit. Deinde Sancto Quintino minati ſunt, mox Guiſię: tandem Anę, in quas omnes Ciuitates noui præſidiarij milites inducti hoſtiũ deſideria pręoccuparunt. Nolentes tamen æſtatem iam adultam inter inutiles excurſiones infructuosã ducere, Rocroiam inuadunt, obuallantque, cui

cùm

cùm Galli Duces subsidia ferre nequirent, quia vniuersi conflictus adirent discrimen (quod declinare constituerant) Mussonij obsidendi consilium capiunt, ne operosos Hispanos otiosi spectarent.

Mussonij expugnatio breui, & feliciter absoluitur. Diuturna Rocroiæ obsidio benè multam Hispani Exercitus partem helluata est. Post cuius deditionem ex hostilium copiarum macerationę animum sumens Mazarinus Sancti Menoldi oppugnationem ex propria sententia decreuit, quę contra multorum opinionem felicem exitum sortita est; dum Turena, & Seneterra subsidia ad Oppidum sublenandum destinata propulsarent.

Rex huius obsidionis impedimenta suo in castra aduentu summouit. Duo enim maximè præcauenda erant, quę oppugnationem interpellare potuissent: Primò, ne Autumnus iam prouectus tempestatem pluuiosam obsidionibus admodum molestam, antequam Vrbs dederetur, inueheret: Secundò verendum erat, ne subsidia à Condæo iugiter immissa tandem penetrarent. Ad quæ pericula præuenienda Rex ad obsidentem Exercitum profectus, oppugnationem maturauit: aspectu, & hortationibus Duces, militesq; ferreis, acutisque veluti calcaribus stimulans. Nihil enim magis virtutem ad operandum procudit, quàm aspectus ipsammet virtutem præmiantis.


image
not
available

huc in Aula commorante, vt ſibi deſtinatos vrgeret apparatus, Marchio Pleſis Bellierius, qui ſecundo loco Exercitui pręerat, accipiens à nuncijs, quantum periculi Roſinonenſibus arcibus inſtaret; extemplò illuc mouit, & tenues montiũ calles ab Hiſpanis inſeſtos eluctatus, in Catalauniam deſcendit. Hiſpani, qui circa Roſam caſtra fecerant, intellecto hoſtis aduentu, ea euertunt, comburuntque, & mille quingentis præſidiarijs militibus Caſtilione relictis, in interiora Prouinciæ recedũt. Bellierius Hiſpanorũ metu ſolutus, qui illi è loco deceſſerant, Caſtilionis oppugnationem aggreditur feliciſſimo euentu. Ex præſidiarijs ſeptingenti Hybernenſes Regi ſacramentum dicunt: Cęteri per longũ Languedochiæ & Guiennæ tractum in Hiſpaniam perducuntur.

Secundùm hanc expugnationem proxima quoque Caſtella ſe ſubmittunt. Mox Girona cingitur, Vrbs antiquo opere malè munita, ſed ampla, & multis Hiſpanorum Copijs firmata. In obſidionis exordio vim experiuntur Galli: mœnia tormentis quatiunt; deinde in perfoſſos muros impetunt; ſed Vrbs conferta militibus obſidentium inſultus haud difficilè refutabat. Quare ad impediendos commeatus animos aduertunt, cõijcientes obſeſſam multitudinem breuì à fame vexandam, cùm importata alimenta non reciperet, quæ in horreis congeſta erant, paucis diebus tot hominibus defectura. Multi autem aditus in am-

plam Vrbem ſpectantes à modicis copiis ægrè ſepiebantur. Vnde Hiſpani difficiliores calles, ideò minùs munitos aggreſſi, excubias Gallorum propulſant: in Ciuitatem milites, & victum cõuehentes. Galli à ſpe munitæ Vrbis capiendę depulſi, acie inſtructâ receptui occinunt non inulto; Nam à quadringentis hoſtium equitibus eorũ terga cædentibus irritati, fronte conuersâ nullius aut vitæ, aut libertati pepercerunt.

Pacata Guienna Burdigalę reductione, copiæ bello ſolutæ Regis iuſſu in Ruſcinonenſem Comitatum profectę Exercitum obſidione Gironæ tabefactum reficiunt: Qui in Catalonjam rurſus explicans Hiſpanas copias in fugam adigit, non paucis militibus trucidatis, aut captis; impedimenta omnia conſecutus, eadem obtinet loca, à quibus Hiſpanos depulerat: tandũ inibi moratus, donec exiens Autumnus, exeſos tot laboribus milites ad hyberna reuocauit.

In Italia aduentus Comitis Quinctæ cum aliquot militum turmis viſus eſt iã viuidam ſpem animos excitare, cùm ad illud temporis copiæ Ducis Sabaudiæ Hiſpani Exercitus pondus vnæ ſuſtinuiſſent. Quinctius vnitus Sabaudicis legionibus bellum vltra Pedemontis fines tranſtulit: excurſionibus, & expilatione locorum patentiũ admonuit Mediolanenſes ciuile Galliarum bellũ expiraſſe. Reducto deinde circa Creſcentinum Exercitu, tendente ad Palazolum Hiſpano, Quin-

ęęus ex loci proximitate congrediendi æstum cõcipiens versùs Caraſſenam Generalem Hiſpanũ nuncium mittit, vt certaminis prouocationem illi afferat. Caraſſena, qui cunctatione Gallicũ furorem emaſculare ſtatuerat, intempeſtiuam ferociam irriſit: ad eum remittens ſe in aperto ſtare, ſi ſe conuento illi opus eſſet, ad ſe veniret. Inde Gallus ſtationem in Monferratenſe ſolo mutauit; validam incurſionem Tortonam, & Caſtronouum vſque molitus, Serrauallum expilauit, & Alexandrinam ditionem terrore, ac ſpolio affecit. Quibus hoſtilitatibus Caraſſenam à Pedemonte, quò intendebat, reuocauit; leuique prælio in receſſu ſuborto propè Aſtam Ciuitatem populabundas copias reduxit, donec aduenientę Mareſcalco Granceo cum mille ducentum militibus viſum eſt bellum recrudeſcere. Granceus Caraſſenam mapalibus à fronte, & torrentis alueo à latere protectum aggreditur. Hiſpanus in ſuis munitionibus, & locorũ opportunitatibus præcipitem Gallum opperitur, & nimbo glãdiũ ſe obtrudentem ſalutat. Vnde multi Gallorum, & militum, & Ducum occubuerunt; in primis Montius Sabaudici Equitatus Generalis. Quæ clades militarem expeditionem iſtius anni obſignauit.

Comitis Verrucæ mors ad illã militarem amplitudinem Montium euexit lęto, & funeſto exordio: vix enim initâ dignitate interficitur. Viſa

eſt mors tandiù procraſtinaſſe hunc virum ætate maturum, & tot functum periculis demetere, donec militare faſtigium multitudini ſtipendiorũ, & laboribus debitum ſcandiſſet; vt illum vel minùs iniuriosè, vel magis obligatum corriperet ob ſongum vitæ ſpatium militari viro rarò impertitum. Obitus Montij locum fecit Marchioni Villæ defuncti filio paternarum virtutum hæredi eadem belli munia adeundi. Fas quippè erat paternas amplitudines illi filio citò deferri, in quo paternæ virtutes citò floruerant.

Cap. X.

Qua vi, & induſtria Arcurtius Alſatiæ Moderator ad obedientiam perductus ſit.

1654.

EX more Principum Galliæ Comes Arcurtius Regios ſpiritus alebat, qui proſperis inflantur, nec aduerſis detumeſcunt, quia à maioribus hereditarij, inſitique. Rex vniuerſum Regnum pacauerat: circumſcripto anguſto Campaniæ angulo Condæiſtis obtento præſidijs, reliqua ſe ſummiſerant. Vnus Arcurtius in Alſatia ſupremum agebat; & quamuis nõdum apertè exuiſſet obedientiam, re mandatis Regijs

Regijs nõ obtẽperabat. Duabus arcibus præ cæteris moderabatur inſuperabilibus Galliæ Propugnaculis, Briſaco nimirùm, & Philippiburgo. Briſaci auctoritas Comitis circumſcribebatur à Carleuoſio, & Ducibus præſidij, qui ſuam dominationis partem ſibi arrogabant. Philippiburgo planè imperitabat Arcurtius, omniaque inibi à ſuo nutu pendebant. Multa de ipſius negotiationibus diuulgabantur incerta quidem, ſed quæ aliquã veri faciem exhibebant operationes Comitis trutinantibus. Ipſum ſcilicet Imperatoris, & Imperialis conſilij animos exploraſſe, an ſe ſupremum Alſatiæ Dominum vellent dicere. Quibus exponebat: Securitatem Imperij magis decere Principem in limitibus obſequentem habere Auſtriacis; quàm potentiſſimũ Gallię Regem ſola proximitate illos degrauantem. Ad quæ poſtulata firmus ſtetit Imperator in Monaſterienſis pacis conſtitutis non libandis, quamuis ab Hiſpanis varijs obtentibus titillaretur.

Cùm Germaniæ tractatus ex ſententia Comitis non proficerent, ferebatur Hiſpanis hæſiſſe; Principi nimirũ Condæo, & Carolo Lotharingo, cui ex condicto Philippiburgũ tradẽdũ erat. Nulla res Cardinalis Mazarini mentẽ acriùs vſſit, quã Alſatię periculũ, quo potiſſimùm tẽpore fortuna omnibus Regis deſtinatis frontem conuerterat: qua innixus Granuillæ à ſecretis Regijs declarationibus onerato Alſatiæ iter imponit. Hic cõ-

modùm illuc peruenit, cùm iam Philippiburgi tradendi negotiatio ſpectaret ad exitum; exploratiſque præſidiariorum Ducum animis Regis explicat voluntatem, quam alacriter melior Philippiburgi præſidij pars amplectitur, vel Arcurtij operationes indignãs, vel Regiæ cauſæ ſuffragandi ſtudio accenſa. Inter hæc Locumtenens Arcurtio addictus fortè ex Vrbe ad negotia ſua peculiaria agẽda egreditur. Pulcherrimam occaſionem Præſidiarij nacti Granuillam in Vrbem recipiunt; vnaque voce Gallię Regem Dominũ proclamantes, pellunt Lotharingos, portaſque redeunti Locumtenenti obſtruunt.

Continuò Mareſcalcus Seneterræ Bofortum Alſatiæ Oppidum, quod Suſa Gubernator pro Condęo adminiſtrabat, circumſcribit, & feliciter expugnat; non antè tamen, quàm defoſſis cuniculis mœnia diſiluerint. Hoc facinore peracto, Seneterra Alſatiam adoritur; ac ex multis Oppidis Arcurtij milites, duceſque abigit; & cuncta formidine complet, potiſſimùm ad eam diem impertuibabilem Arcurtij animum: qui expendens vlteriùs Regis reluctari decretis indecorum ſibi aliàs ſemper fido, & periculoſum, imprudenſque viro tot victoriarum potenti, in Regis obedientiam, quæ non perierat, ſed duntaxat refrigerat, rurſus incaluit.

Inſigniora concordiæ capita fuerunt: Quòd Arcurtius Briſaco decederet Gubernatori, & militi-

litibus Regijs arcis possessionem incuntibus: quòd è contra Regij milites Arcurtio Philippiburgũ Gubernatorio nomine ingredienti remitterent; ità vt quo tempore Arcurtius se Brisaco spoliaret, Philippiburgi præfecturam indueret. Quæ tanto rigore exequebantur, ac si non cum subdito, sed cum supremo aliquo Principe conflata pax esset. Hic operandi modus inter Regem & subditum Gallicorum morum, & temporum malè peritos in admirationem rapiet.

Galliarum Reges erga suos subditos exorabiles rarò rebellionis crimen peccantium sanguine insigniuerunt. Fert hoc vel natura indulgentiæ prona, vel amor erga subditos, vel commodum: nam vt plurimùm, qui à Rege deficiunt, cordati homines sunt, qui semel Regis gratiam adepti, famâ rerum gestarum apud posteros rebellionis ignominiam deleuerunt. Qui è contrà puniti multos quidem formidoloso exemplo à rebellione deterruissent; sed semel desciscentes cũ graui Regis iactura pertinaciùs inceptum tutati essent. Si Parisienses, si Burdigalenses vsque ad vltimum spiritum defectioni institissent, profectò supra infinitam ciuium consumptionem irreparabilibus Regnum cladibus affectum esset: vnde conspicuum fit Regias remissiones erga Gallos à suo Rege dificientes plus commodi, quàm detrimenti afferre: præcipuè cùm ob innatam animi promptitudinem illi homines priùs peccẽt,

quàm

quàm cognoſcant ſe peccauiſſe, ideò reſcipiſcétes pari facilitate, qua peccarunt, videntur à Regibus ad pœnitentiam admittendi, ne multorum, & illuſtrium virorum animaduerſione pœna infeſtior crimine euadat.

Non eſt tamen adeò inueterata, & infixa Regibus indulgentia, quin aliquando ſeuerioris iuſtitiæ ediderint exemplaria. Leges in Gallia in excelſo ſunt, & ſcrupulosè coluntur. Sed Principes opportuniſſimum tempus vt plurimùm inuitat ad defectionem, quod ipſi venantur: & cùm primùm Regem cernunt vel externis bellis implicitum, vel grauminis interioribus illaqueatũ, hoſtilem animum traducunt; eumque occupant locum, quo lædere poſſint, ipſis inoffenſis. Imò aliquando cogitur Rex eorum amicitias mercari, & beneficijs vexationes redimere, vt maiores, quæ impendent, deuitet. Defectiones enim, quas moliuntur Principes Galliæ vt plurimùm à moderatione honorum promanant; quòd ſcilicet ijs dignitatibus, præfecturis, muneribus, penſitationibus non decorentur, quas ipſi ſibi cenſent conuenire: vel enormes exigunt impenſæ, quas vltrò ſubeunt; exinde volunt Miniſtros, aut Reges in ſe peccare, quia eorum non explent cupiditates: obtentis deinde (vti vocant ipſi) ſatisfactionibus, Regiâ videlicet pecuniâ, aut muneribus expreſſis quieſcunt, & Regis partes pectore, ac quouis vitæ curant diſcrimine, & rebellionis

lionis maculam sanguine eluunt.

Arcurtius in Alsatia Gubernatoris fines transiluerat; quo tempore sciebat Regem vlcisci iniuriam non posse; & Regi (qui iuxta conditionē dominantium plus cęteris seruire tempori debet) tempus, & Exercitum in Arcurtio insectando terere non licebat, vt subditum puniret; & dein ipse pecuniâ, & militibus in re inutili dilapidatis, ab Hispanis puniretur, paruoque lucro facto multa deperderet. Satius igitur fuit condonare: imò subdito gratificando infructuoso bello defungi; ne potentissimo hosti rei benè gerēdę copia fieret. Reges quò potentiores sunt, pluribus egent; vt suam sustineant potentiam. Cęteri mortales, qui sibi metipsis duntaxat viuunt, suis morem gerere cupiditatibus possunt: at Regibus, qui immensam hominum curant multitudinem, non irę, non odio, non vindictæ, non animi affectionibus vacare licet, vni rationi status, & politiæ parendum illis est.

Cap. XI.

Comitiſſa Martinozza Mazarini Neptis Principi Contio denubit. Dux Carolus Lotharingus ab Hiſpanis cohibetur in vincula.

1654

HYEME iſtius anni celebres nuptias aſpexere Pariſij, ſtupentibus multis rei inſolentiam, mirantibus alijs vices fortunæ. Princeps Contius Cõdæi frater Comitiſsã Martinozzam Mazarini Neptem in matrimonium duxit. Cardinalis res Regijs inſertæ adeò erant, vt ipſius adminicula Regiam quoq; fulcire auctoritatẽ ducerentur. Ideò Rex non modò ijs Cardinalis honoribus non indelectabatur, ſed eos p ouehebat; & Cardinalis adeò prudenter Regias gratias vſurpabat, vt nihil pro ſe moliretur, quod Regis vtilitati non applicaret. Qui ad equam lancem reuocabit matrimonia Neptum Mazarini, ſubductis calculis inueniet ea publicę cauſæ profuiſſe.

Contius hoc iniuit matrimonium, vt Condęi minis ſe ſubtraheret, ſibi irati, Marſini, & Leneti impulſu, qui in ipſum omnia Guiennæ infortunia depoſuerãt. Condæus, qui matrimoniũ

Ce-

Ceuuruſæ cum fratre diduxerat, metuens res familiares imminuere, nunc multo maiori rerũ ſuarum diſpendio fratrẽ ſentit collocatum cum gẽte ſibi infenſa, & Regis gratia triumphantem; dũ ipſe extorris per eos dies ex Parlamenti ſententia Maieſtatis reus pronunciatur, bonis fiſco adiudicatis.

Dum Luteria nuptijs exultat, & gaudia diſponit, Bruxellæ ſcenam funeſtę aperiunt tragœdię. Dux Carolus Lotharingus Hiſpanorum Regis iuſſu in carceres rapitur. Princeps ſupremus nemini addictus, ſpoliatus ditione, quod vnum ex tot bonis, vel omnibus commune hominibus illi ſupererat, amittit libertatẽ. Confugerat hic Dux ad Hiſpanorum protectionem, quibus omnes reliquas fortunas ſuas commendauerat, & captiuitatem inter amicos offendit. Carcer illi denuntiatur à Comite Garcias Legato Hiſpanorum in Belgio adueſperaſcente Cœlo in Eccleſia Religioſarum Pœnitentium; Hinc abducitur ad ędem illi pro carcere deſtinatam. Die ſequenti ſub meridiem Antuerpiam transfertur Equitum agmine ſtipatus per medias Bruxellas, & vniuerſam multitudinem ad ſpectaculum confluxam; ne nõ teſtes ſuæ calamitatis haberet. Hoc adijcitur ęrumnis pondus publicè ſpectari.

Ante diſceſſum cogitur ſubſcribere libellum directum Comiti Ligneuillæ ſuarum copiarum Prefecto, quo iniungebatur Archiducis Leopoldi

di iuſſibus præſtò eſſe. Gemmę, & pecunia tantâ Populorum direptione congeſta Domini fortunam ſequuntur: pecuniam exiſtimabatur multam ex hyemalibus, & expilationibus cõtraxiſſe. Publicarunt tamen Hiſpani exiguam copiam prę hominum ſententia repertam eſſe.

Eniſi ſunt Galli ſecundùm hanc detentionem Ligneuillam, & Duces Lotharingos ad ſe pellicere, & inſtigare; ne Domini captiuitatem inultam paterentur. Sed Hiſpani, vel auro, vel promiſſis Ligneuillã ineſcauerãt: & aduentus Ducis Franciſci Caroli fratris omni metu eos abſoluit. Qui tanto facinore feliciter expliciti libellum ediderunt cauſis detentionis Ducis Caroli delineatum, quæ duo omninò deſcribebantur: rapinæ nimirùm, quibus Dux cũ ſuo Exercitu indulſerat, cum ipſe exul, & domo profugus populatorem magis ageret, quàm belli Ducem. Ad ſecundam cauſam referebantur arcani tractatus, quos Dux cum hoſtibus Hiſpanorum confecerat.

Vulgò ferebatur Condæi odium aduersùs domum Lotharingam Ducem Carolum apud Hiſpanos perdidiſſe patefactis negotiationibus, quas Dux cum Galliarum Rege vel auſpicatus erat, vel ad colophonem perduxerat. Eueſtigiò enim creditum eſt ab Hiſpanis Condæo Gallicæ Aulę ſecreta ſuboluiſſe; præcipuè cum modus agendi Ducis ab aliquo tempore Hiſpanorum animos

ſuſ-

sustenderet; potiùsq; sibi ab illo timerent, quàm ipsius crederent auxilijs. Horum tamen ratiocinationum veritas, vel falsitas in arcanorum demergitur altitudine: Captiuitas in propatulo est.

Cap. XII.

Galli Astnæum expugnant. Atrebatiũ propugnãt. Quæsnoiũ, & Clermontiũ capiunt.

1654.

Ducibus Galliarum Regis hyems exacta fuit in obseruãda Astnei Ciuitate fortissima, quæ Lotharingiã, & Campaniam aperit. Fefellerunt tamen Condæistæ ipsorum diligentiam, commeatus, & militem furtim in Vrbem intrudentes. Seneterra, exeunte vere, vt hostiũ dolos haud dissimulatâ hostilitate illuderet, circumsistit Vrbem veterano milite, & oppugnationem auspicatur: quam deinde Faber Marescalcus ad calcem perducit.

Desiderabant Hispani ad obsessam Vrbem penetrare, ne tantum Condæi detrimentum oscitantes tolerarent: Sed Turena, & Seneterra vias sepserant, offerebãtq; aduentantibus fortissimum priùs transcendendum Exercitum, quàm aditus sibi molirentur. Hispani, vt periculum satis

ſatis euidens certiori deliberatione anteueniret, conſilium ceperunt Vrbem aliquã inſignem obſidendi, cuius conſeruatio, aut Gallos ab Aſtneo extraheret; aut expugnatio Aſtnæi detrimentum longè penſaret. Initâ deliberatione ampliſſimũ Exercitum, qui præter Condæi legiones Lotharingas quoque copias comprehendebat, Atrebatio admouent Vrbi tanti nominis, & vtilitatis, vt ipſius expugnatio plures militares expeditiones poſſet inſignire: nõ ignorantes quantam celeritatem inchoatum opus exigeret, vt cupitum ſortiretur finem, dies, nocteſq; laborẽ vrgebant. Circumducto vallo caſtra primùm contra vim externam tegunt; deinde aduersùs Vrbem aggerem perducunt.

Vrbis fortiſſimę quidẽ, ſed ambitu vaſtæ, haud pleno cuſtoditæ præſidio periculum non leuiter Regem admordit, qui Sedani agebat, vt propiùs Aſtnæi obſidionem procuraret. Præfectos igitur ſuos arcibus, & præfinitis imperatis ad ſufficiẽda Vrbi auxilia ſtimulat. Mareſcalchis Turenæ, Seneterræ, Oquincurtio, qui Copias Regias ductábant, explorantibus obſidentium caſtra hoſtili diligentiâ firmiter obuallata, niſi cruento, & ambiguo conflictu perrumpi non poſſe; placuit omnes aditus, qui ad caſtra ſpectabant, inſidere: caſtra metipſa ampliori caſtrorum productione circumſepere: vicinas Vrbes, ex quibus importabantur commeatus, ab illis diſcludere: & ex

obſi-

obsidentibus obsessos facere. Quod consilium ab expertissimis Ducibus per hæc bellorum volumina, quæ hisce annis subsecuta sunt, vsurpatũ, & indefessis administratum laboribus visum est per initia comitem habuisse fortunam: multiplici tamen experimento comparatum est parũ, aut nihil laborantibus Vrbibus profuisse; & sanè, si ex parte Gallorum in constitutis perstatũ fuisset, Atrebatium cadebat. Nam commeatus ex Hera, & Duaco profecti, quamuis aliquantisper distenti, tandem per minùs obseruatos calles ad Hispanorum castra feliciter perducti fuerant cum aliquot Equitum, & peditum millibus

Rex duabus interiectus angustijs, recuperandi nimirùm Stenæum, & Atrebatium tuendi, statuit se Stenæum conferre, animo pręsumens posse Atrebatij subsidiũ post Stenęi expugnationẽ differri. Marescalcus Faber obsidionẽ õnibus neruis promouebat: Rex suâ pręsentiâ eam potentissimè vrsit; aduersùs quos conatus propugnatores impotentes (varij enim explosi cuniculi viam in Vrbẽ aggredientibus explicauerãt) Regi illam reddunt: cuius iussu quinque hominum millia Atrebatium versùs illicò digressa suo aduentu Gallicas vires augent, & felici Stenæi nuncio ad hostium opera inuadenda animos sociorum disponunt.

Hispani interea necessarijs prouisionibus cùm ad militem alendum, tùm ad oppugnationem

protrahendam, nec non etiam noui militis aduentu obfirmati indubitatã ſibi præſagiebãt Atrebatij victoriam, quam vt illis Galli præriperent, mutato decreto in hoſtilia ingruũt caſtra: noctis vſi ſilentio ad vallum perueniunt à vigilibus illicò detecti: quod ex tympanorum, & tubicinum clangoribus comperientes, aggreſſionem maturarunt, antequam vniuerſus Exercitus armatus occurreret. Turena primus valli lineam, fugatis propugnatoribus, eluctatur: Oquincurtius Lotharingos amolitur: Seneterra, cui Itali opponebantur, ægriùs ingreditur. Hiſpanus Exercitus in fugam dilapſus ſe recipit, quò cuique commodum, Heram, Duacum, Sanctum Audomarum, Cameracum.

Duo copiarum hoſtilium deletionem inhibuerunt: opulentia nimirùm impedimentorum, quorum expilatio magis Gallos inuitauit, quàm cruoris hoſtilis deſiderium: Deinde Condęi Principis virtus, qui fronte conuersâ non minimo ſui diſcrimine fugientes protexit. Imò Condæus ſæpiſſimè conſilium agitauit deſertas munitiones denuò repetendi, animo præſumens Gallos raptui intentos nobiliſſimum ſibi conceſſuros eſſe triumphum: Sed Turena veteranus Dux manum, quam à prædatione continere potuit, illi obijciens ab inuaſione deterruit, & aliquando tentantem depulit.

Secundùm hanc victoriam Turena occupauit

Que-

Quesnouium Oppidũ Annoniæ mediocribus instructum munitionibus; & Marchio Seneterræ Clermontij oppugnationẽ à Marchione de Vxeles inchoatam absoluit. Sperabatur maius detrimentum percepturos esse Hispanos ex tam insigni clade; sed obseruatum est cladem plus in exuuias, quàm in homines propagatam esse. Paucis enim interiectis diebus Hispanus Exercitum satis validum ex dispalatis copijs recollegit. Ducis Iorchi Anglici Regis fratris, qui cum Turena militabat, fauorabile vulnus hanc victoriã concelebrauit.

Cap. XII.

Expeditio Ducis Guisij aduersùs Neapolitanum Regnum. Gesta in Catalonia, & Mediolanense Ducatu.

1654.

DVCEM Guisium (cuius iniqua sors proximam Regni Neapolitani consecutionis spem in carcerem commutauerat) ab eo tempore gloria enormiter sauciata, & iniuria inulta vecordem agebant. Coquenti vindictam extorres Neapolitani offerunt opportunitatem sarciendi deperdita: totum videlicet Neapolitanum

Regnum nihil aliud magis deperire, quàm Hiſpanos vlciſci: leuem motum ſufficere ad vniuerſum concitandum: voluntatem nouandi omnibus ſupereſſe: vnum duntaxat Caput quærere, quod velit tumultuoſos ſub imperio recipere, & occaſionibus adhibere. Vnum Ducem Guiſium adeò illis placere, & per hominum ora ſecretò ferri; vt nihil magis ſuſpirent, quam præteritas defectiones, & cladem illi immeritò procuratã ſanguine ſincerę ſeruitutis teſte obliterare: Populi Duces, qui eum fefellerant, ſatis iuſtas pœnas pependiſſe: viſum eſſe Deum eam mentem Hiſpanis dediſſe, quæ omnibus Guiſij proditoribus condigna ſupplicia irrogauerit. Ex quibus hæ duo eliciebantur opportunitates; ne ipſe in deſertores ampliùs incideret, & ne Hiſpani eos inuenirent, quibus imponerent: ſi rurſus Neapolitani arma corriperent, verendum non eſſe, quin Ducibus contra Hiſpanos ſibi deſumptis ſummâ fidelitate ſeruirent: nimiùm prægreſſæ defectionis pœnituiſſe: calamitates mentis caliginem deterſiſſe, ne in poſterum pari facilitate eludi poſſent.

Haud magnâ mole Guiſius vltioni promptus in ſententiam trahitur. Rei familiaris diſpendio bellum facturus pecuniam cogit: copias conſcribit: Claſſem exornat: Neapolim nauigat autumnali tempore haud nauigationibus ſecundo. Tempeſtatibus iactata claſſis in Neapolis con-

conſpectum ſe dedit, nihil noui Hiſpanis afferens præter ſui imbecillitatem; qui à multis menſibus huius aſſultum præuidentes, lætati ſunt hoc aduentu vires hoſtiles admodum languidas prodente, quas longinquior fama in maius tollebat. Triremes in portu paratæ, miles ad littora, & loca exſcenſui obnoxia diſtributus, nobilitas ad propugnandas Vrbes arceſſita, pro Hiſpanis omnia egregiè diſpoſita, Guiſio nihil non hoſtile, illis ſpem, huic exitium oſtentabant. Gratia Regis exulibus vltrò oblata, ſi fidelitatẽ, & officiũ hoc in rerum momento depromerent, præſtitit, vt extorrum manus in Guiſium prona ad Hiſpanos ſe conuerterit, certam ſalutem periculoſo exitui præponens. Hoc emolumentum ex iſta expeditione Guiſiana exules nacti ſunt, ideſt Regis gratiã promereri. Guiſiũ aduerſa rerũ facies nõ deterruit: ſolet quippè fortuna difficiliora principia his obijcere, quibus proſperos exitus deſignat; ambitque plerunque in conferendis beneficijs Ducem, & comitem habere virtutem. Quod fortunæ conſtitutum hac vice Guiſium fefellit, qui multam prodidit virtutem, cui fortuna non ſuffragata eſt. Nauibus ad littus Stabiarum eiectis, alacres in terram milites exiliunt: ad quatuor millium numerum ducebat Guiſius, tantillâ manu ampliſſimum Regnum comprehenſurus; deduntur Stabiæ, Oppidum facile captu, & ad Neapolim infeſtandum percommodum. Verun-

tamen, si fortuna cœptis non arridebat, haud operosioti negotio illud amittebatur antiquo opere mœnibus ex se ipsis dissilientibus præcinctum.

Hoc Oppidum omnibus per hanc tempestatem Neapolim impetentibus læta suppeditauit inchoamenta tractatu dura, euentu tristia. Hinc Guisius ad Annunciatæ turrim discedit duobus millibus, & quingentis peditum, sexaginta stipatus equitibus, vt Neapolim propiùs fatigaret; Sed in via à multis Neapolitanis copijs afflictus retrocessit; mox vndique cinctus, & oppugnatus à terra, Mare etiam expeditioni suæ percepit iratum, diù militibus naues repetentibus ascensũ detrectãs. Tandẽ post varias tẽpestates in Prouinciã reuersus est sexcẽtis militibus & paucis nauibus mutilatus, illis hostili ferro consumptis, istis procelloso mari absorptis. Qui fluctuanti suas mari fidit opes, in discrimen adducit: qui eas tumultuosæ credit multitudini, temerè perdit.

Possessionem Catalonię, quæ vltra Pyreneos iacet, sibi vindicauerãt Hispani vnâ reliquâ Rosâ, quę maritimo portui classium receptioni opportunò præest; inde Galli terrà, marique vniuersę Prouinciæ quieti officiebant. Scdit idcircò Hispanis hoc anno tam nobilem appendicem suo corpori iungere, & stimulum publicæ tranquillitati intercedentẽ auellere: Ioannem Austriacum Exercitui Catalonico præponunt, & classem

classem maritimam satis validam instruunt, vt terra, marique Rosa oppugnaretur. Galli quoque classem adornauerant, quæ conscia suæ debilitatis ausa non est Hispanis se committere; contenta propiùs hostium vires explorauisse, proras in Prouinciam, vnde discesserat cóuertit. Austriacus Rosam pergit nequicquam obsidione tentata; obuiàm enim habuit Principem Contium, qui eum à castrorum metatione deturbauit: mox insecutus meliorem equitatus partem, & impedimenta illi ademit, à qua victoriâ Pincerdam caput Cerdaniæ comitatus perdomuit; & Margheritus Catalanus [qui apud Gallos merebat) turmam Equitum Hispanorum, quæ Vrgelli degebat (vsus nocturno horrore debilem suam manum protegente, & paucos promultis hosti offundente) aggreditur, fugat, capitque cùm ipsa Vrbe, in qua hyemalem stationẽ suis copijs comparauit.

In Mediolanense Ducatu, & Pedemonte cessatum ab armis est. Omnium animis in Guisiana expeditione defixis: vulgantibus Gallis, si principia benè processissent, Equitum turmas Neapolim versùs destinari, vt Guisium equitatu penitùs nudatum munirẽt; & adnitẽte Caraffenâ, ne hic equitatus per Mediolanensem tractum dilaberetur: vnaquæque pars in alterius motus obseruatione immobilis stetit. Interea annus 1654. nullo memorabili illustratus facinore decessit.

Cap. XIII.

Mutinæ Ducatum inuadit Caraffena: cauſæ inuaſionis, & exitus. Papia nequicquam obſeſſa.

1655.

ANNI milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi quinti Menſis Martius (qui in ijs etiam Regionibus, vbi prælia obſæuire conſueſcunt, ſub tecto continere milites ſolet) improuiſo bello Italiam implicauit. Videbatur Hiſpanis Dux Mutinę ſcintillas veteris incendij refouere; tùm quia Barberinæ denupſerat familiæ Hiſpano nomini inofficioſæ; tùm etiam, quia Cardinalis Eſtenſis Ducis frater nõ exuerat protectionem Galliæ, quam Romæ profitebatur, vti pacis articulus eũ obligauerat. Quibus querelis recentes, & grauiores ſubnectebantur; militem nimirùm à Duce conſcribi: bellum diſponi: pecuniam à Rege Galliarum illi tranſmiſſam militaribus expeditionibus erogari. Caraffena Hiſpanorum Præfectus Mutinenſis ſpeculatus machinationes, hoſtem non indictum quidem, ſed ex abdito molientem, & breuì ſe traducturum, antequã vlteriores vires faceret, vel armis, vel minis cohibere cõtẽdit. Copijs repentè cõgeſtis, ap-

pa-

paratu tormentorũ supra Exercitus vires ad terrorem conflato, in ditionem Ducis mouit.

Ducem tanti hostis accessus nec minimum turbauit, qui in tempore militem coegerat, ad loca muro cincta propugnanda: euocatis nobilibus Regiumlepidum proficiscitur, quò primus Hispanorum impetus deuoluebatur. Iubet ciues metum deponere, arma sumere, nec contentus muros tueri in aperto congreditur, & prælia cõserit; quæ, etsi pari damno dirempta; multum iuuabant ad suos milites bello acuendos, & hostes refrenandos, quorum aduentus nullam timoris confessionem elicuerat. Dux Regiensium animis confirmatis Mutinam regreditur, nihil timens ab Hispanis præter imparatorum locorum direptionem: & sanè hoc bellum armentorum depræ-datione finiuit. Nam Caraffena his viribus destitutus, quæ expugnationem munitę arcis prohibere possunt, & fugâ militum imminutus, regressum meditatus est, quà venerat, Mediolanensem Ducatum versùs iter remetiens.

Has Caraffenę deliberationes multi nõ circũspectas astruxerunt malè Hispanicæ prudentiæ, & cunctationi cohęrentes; exitus quoque, qui vel cępta nobilitare, vel consilia damnare consuescit, illas maximè dehonestauit, quę ambiguum inimicum indubitatum fecerunt. Mutinæ Ducẽ, qui forsan iniectis negotiationibus potuisset ad quietem retrahi, illata arma in bellum præcipitarunt

runt. Et profectò Dux hanc oblatam arripuit causam contra Hispanos arma induendi, à quibus hostis destinabatur. Nihilominus certum est Ducem iam multò antè bellum agitare; imò iã stare in procinctu conscriptas copias Gallis adiũgendi, & prębendi se Ducem Exercitui, qui in Gallia contra Mediolanensem Ducatum parabatur. Vnde non videtur Caraffenæ deliberatio Ducis amicitię obfuisse, qui iam ab Hispanis arcanò diffidebat.

Frangendæ quidem amicitiæ Ducis causam honestiorem reddidit, quæ apud Principes maximi fit, potissimùm cum inferior potentiori bellum decernit ipsius consilium nunquam probatur, nisi iustos, & cõdignos præseferat prætextus maximè patentes, & notos vniuersis.

Nihil magis Caraffenam insimulat, quàm tenuitas virium, quibus Mutinensem aggressus est. Ipse, qui vires suas debiles estimauerat, plus terroris in hostem sibi desumptum sperauit inducere posse, quàm damni; ideò viginti quinque bombardas secum traxit ad maximi Exercitus faciem ostentandam. Sed Dux optimè callens non vltrà septem millia hominum in hostilibus castris circumscribi, illi præiuit, nulloque trepidationis signo dato Caraffenæ sperata fefellit, qui cùm ijs viribus nõ polleret, quę Ducem possent obstringere, suâ, Hispanique Regis auctoritate non leuiter vlceratâ recessit. Cęterùm, si tanto robo-

re-

re præstitisset Hispanus ad obruendum Ducem, erat deliberatio sibi maximè salutaris; profundã quoque sapiens Polliticen Ducis bellum agitantis prœoccupare armis consilium, quo tempore à Gallis recipere auxilia illi non licebat.

Mutinensis Dux Hispanorum hostem iam professus non destitit nuncijs Gallos vrgere, vt festinanter alpes descenderent. Amicos quoque, clientesque suos ad arma conciuit: nouos habuit delectus; equitatum, peditatumque conducens, vindictam magis, quàm defensionem moliebatur. Hoc anno Rex Galliarum florentem Exercitum Italiæ assignauerat, vt arcem aliquam Mediolanensis Ducatus incesseret, & Mutinensi Duci militarem gloriam ambienti latam tropheorum materiam suppeditaret. Vulgabatur hoc vno fine cinctum fuisse gladium ab Estense, ne maiorum suorum gesta in se vno consenescerent. Quasi erubescceret non posse triumphos, quos à maioribus hæreditarios acceperat, ex se ipso ortos posteris transmittere.

Princeps Thomas à Sabaudia Mẽse Iunio Gallicum Exercitum in finibus Mediolani congesserat. Marchio quoque Villa cum Equitatu Sabaudico illuc defluxerat, consociatisque copijs in Mediolanũ explicant. Tranato Ticino, equitatus in Hispanicam ditionem effusus, non vt aliàs pagos, ac debiles Ciuitates, sed Mediolanum ipsum in obsidionis speciem circumdans impetiuit, cuius

ius meliores ciues se, suaque bona metu adacti aliò auexerunt. Papia inter reliquas Ciuitates magis insultibus exposita contremuit; & si Galli opportunâ diligentiâ in hac Vrbe claudenda adhibuissent, in sui potestatem leui momento eam perduxissent. Sed, dum tempus in transmittendo Ticino, mox in excursionibus, & miserorũ bonis prædandis eximitur: deinde immobiles Mutinæ Ducis aduentum præstolantur, qui tria millia peditum, & mille Equites secum trahebat, tantâ impedimentorum multitudine comitatus, vt verè Exercitus incessum impedirent, & morarentur: Intereà ab Hispanis in Papiam non tãtùm præsidiarij milites, sed commeatus ingerũtur. Comes Trotus egregius vir armis præficitur.

Papiam ex Hispanorum genio munitam post varias deliberationes serò Galli sibi deligunt expugnandam. Dum fouea circumfoditur, vallũque deducitur, copię Ducis Mutinæ ex tyronibus conflatæ nondum hoste conspecto dissipantur: exceptis Ducibus, ferè omnes pedites militiam deserunt: peditatus Gallicus partim assultibus repulsus, partim eruptionibus fatigatus, partim in longa obsidione ferro consumptus, vel laboribus maceratus, vel morbo exhaustus, penè vniuersus prorsùs inutiliter contabuit; ità vt externis munitionibus vel tumultuariè constructis potiri Galli nequiuerint. Equi-

tatus

tatus verò in peditum defectu eorum obire munia nullo modo assentiebat. Hæ angustiæ tãdem fregerunt pertinaciam Præfectorũ, qui à munitissimæ Vrbis oppugnatione absistere nolebant; cùm tantũ non obsiderentur ab Hispanis, quorum Exercitus variis acceptis subsidijs eò creuerat, vt viam impediret commeatibus. Obligauit etiam Duces receptui canere propter Exercitus salutem, quę multùm laborabat, grauis infirmitas, à qua ambo vexabãtur. Principem Thomam febris incesserat. Ducem Mutinæ vulnus in scapulis acceptum malè habebat. Tot calamitatibus arietati, Vrbem vltrà arietare destituerunt, copias in hyberna reducentes.

Cap.

Cap. XIV.

Landrecius, Condæus, Sanctus Giſlenius à Gallis capta ipſo ducente Rege. Proditio Marcſcalchi Oquincurtij detegitur. Dux Franciſcus Lotharingus ad Regis Galliarũ ſtipendia commigrat. Geſta in Catalonia.

1655.

LACTVRAS, quas Exercitus Gallicus in Italia perpeſſus eſt, Belgica expeditio largiter redemit. Landrecius primus Gallicorum armorum ſcopus intra menſis ſpatiũ oppugnatus cecidit, Annoniæ Oppidum ſatis munitum, quod Brabantiæ aditus recludit. Poſt hoc facinus Exercitus vario copiarum acceſſu ad quadraginta hominum millia gliſcens inuitauit Regem, vt ipſius Moderatorem ſe faceret. Ductauit Rex Exercitum per Annoniam, Brabantiã, & Flandriam maiori hoſtium terrore, quàm detrimento: latente Hiſpanorum agmine, & furtiuis auxilijs Ciuitates diſcrimini proximas ſubleuante. Duo tamen Oppida illi dedita ſunt, Condæus, & Sanctus Giſlenius, quæ multo præſidiario milite per hyemem retenta Annoniam,

&

& Brabantiam non vulgaribus incommodis affecerunt.

Inter hæc Condæus Princeps magnas moles in Gallia ſtruebat, quorum fundamenta Mareſcalchi Oquincurtij humeris inædificabat. Oquincurtius Cardinali Mazarino addictus maiora ab ipſo ſperauerat, quàm conferri poſſent: iuxta Gallorum genium, qui tunc nullam ſuis petitionibus adhibebant metam. Vnde non impetrata beneficia ad iniuriam referens, Cardinali iratus à Rege deſciſcit. Homo ſorte naſcendi, & honorum collatione Regi obligatus, nullâ ſatis euidenti causâ permotus gratitudinis officium obliuiſcitur, obedientiam temerat, ipſiſmet Regijs beneficijs ad illius perniciem abutitur. Spopõderat Condæo Principi tranſitum in penetralia Gallię per Peronæ fines, cuius erat Moderator, & opportunitate iſtius fortiſſimi Muniměti ipſius conatibus patrocinari. Ante ortũ emerſit proditio, quę Regis diligentia, & auctoritate effocata eſt. Peronę Mareſcalcho detractę eius filio probatæ erga Regem fidei mandatur cuſtodia. Princeps hac ſpe deluſus, quam hyemalem ſtationem ſibi in Gallia deſtinauerat, in Belgio collocauit.

Dux Franciſcus Lotharingus poſt ipſius è Germania in Flandriam aduentum pro Ducis Caroli liberatione omnia cumulauit officia apud Hiſpanorum Aulam, à qua cùm nihil pacati renuncia-

retur

retur, consilium inijt se, & copias in Galliam reducendi. Vel, vt à periculo eiusdem calamitatis se subtraheret, vel, vt quam libertatem præsenti erga Hispanos seruitute mercari fratri non poterat, armis compararet.

Varios etiam conflictuum rumores dissipauit Catalaunia. Princeps Contius Cadaquem maritimum portum quintâ die accepit, classe terrestrẽ oppugnationem interceptione subsidiorum iuuante; quam expugnationem deditio Castilionis, & Solsonæ subsequitur. In conspectu Barcinonis ambę classes conflixerunt, vel potiùs varijs tormentorum ictibus se inuicem ad pugnam prouocarunt, quæ multis classiarijs interfectis, & saucijs, paucis etiam nauibus afflictis diremptа est. Barcinone omnis aurea, & argentea pecunia tùm ex publico, tùm ex priuatis ęrarijs ad belli vsum detrahitur, in cuius locum ęrea sufficitur. Hispania in Indias protensa tantam thesaurorum copiam illinc in Europam aduexit, vt penè omnes Europæ Regiones auro, & argento repleuerit; ipsa verò egena non modò conuectũ, sed antiquitùs coaceruatum, & quasi ingenitum argentum erogauit, ęream pecuniam sufficiens; ita vt de ea dici verissimè possit in summa opulẽtia extremam contraxisse pauperiem.

Cap.

Cap. XV.

Princeps Thomas à Sabaudia moritur. Dux Mutinæ, & Mercurius Præfecti Gallici Valentiam expugnant. Princeps Mutinæ Mazarini Nepotem ſibi in matrimoniũ iungit. Hiſpani Mutinenſes fundunt.

1656.

DIVTVRNVS morbus, quo Princeps Thomas à Sabaudia cõficiebatur, iniecit curam Galliarum Miniſtris, an alius armorum Italicorum Præfectus dicendus eſſet inſtante expeditione anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſexti. Non leue videbatur intemeratæ Principis ſeruituti detrimentum inferri, ſi ipſo viuẽte ſucceſſor deſtinaretur. Sed Principis mors, quę diuturnæ tabi ſuperuenit, eos ab hac ſolicitudine liberauit. Hic Princeps à Patre Carolo Emanuele celeberrimo Duce inter Martis ludos à teneris altus annis paternos ſpiritus hauſit: cordatus, impiger, & bellicam callens paleſtram fortunam, quæ illi militares palmas ſæpè inuidit, conſtantiâ, & animi fortitudine vicit. In aduerſis quippè ſuſtinendis, & caſtigandis plus gloriæ meruit, quàm alij in proſperis conſequantur.

Dux Mutinę, & Mercurius Præfecti copiarũ Italicarum nuncupati ſunt. Mutinenſis Pariſios petierat, vt ſeruitutem, quam Regi armis profitebatur, voce, & præſentiâ confirmaret; Cardinalis quoque Mazarini arcana propiùs hauriret. Recens enim affinitas nihil ſibi cęlari poſſe promittebat. Filio Ducis primogenito Mazarini neptes denupſerat. Non modò Galliæ Principibus, ſed etiam externis deſiderium inceſſit cum Mazarino neceſſitudinem iungendi; eò enim ipſius auctoritas aſcenderat, & Regijs gratijs admodum perfundebatur, vt ſe Regi unire viderentur, qui ſe Mazarino conſociarent. Et ſanè Mazarini conſanguinei inuiolatã Regi operam iugiter nauarunt. Ex Matrimonijs harum neptum Cardinalis adeò ſplendidis elucet Galliarum Regis potentia, quæ ſeruitutem ad eos gradus valet ſublimare, vt ad externos Principęs proferatur; eoſque ità capiat, vt cum illa eam non dedignentur affinitatem cooptare, quam cum coronatis Capitibus aliàs conſciuerant.

Mutinæ Dux in pręteritæ ſeruitutis gratiã, & authoramentũ futuræ opulentis à Rege donatus muneribus in Italiam iter reflexit, per Pedemõtem, Genuenſem, & Parmenſem tractum ſuæ ditioni ſe reſtituens; vbi quantũ fieri poterat, militum collectionem accelerauit; celebratiſq; filij & filię nuptijs, quam Duci Mirandulæ deſponderat, eidem inſiſtens itinerį Pedemontem breuì re-

uiſit

uiſit; quò Cardinalis Mazarinus, vt eodem tempore Regis cauſam, & Ducis affinitatem iuuaret, magnam auri, militumq; vim tranſmitti curauerat. Mercurius quoque magnis itineribus in Pedemontem profectus eſt : & Villa ex hybernis egreſſus Sabaudiæ copias Gallis coniunxerat. Quare luſtrato Exercitu ſatis inſtructo ad facinus aliquod egregium attentandum (Hiſpanis in varias partes diſtentis, vt incerti quorſum hoſtium conatus ſpectarent, certiùs fallerentur) diſſimulatâ aggreſſione Mortarę, Alexandrię, & Nouarię, Valentiam oppugnatum copias adducunt, fortiſſimum Mediolanenſis Ducatus Munimentum ad Padum iacens : cuius fluminis aditus eueſtigiò obſident, omneſq; terreſtres vias ſepiũt propulſantes ſubſidia, quę hinc inde ab Hiſpanis in Vrbem ſubmittebantur.

Valẽtia exiguo obtẽta præſidio Gallis obſidionem nauiter prementibus ſpem illicò fecit exitus præteritarum obſidionũ infelicitatem expungẽtis. Protracta tamen fuit oppugnatio vltra duos menſes varijs bellorum viciſſitudinibus inſignis.

Opinabatur quiſq; Mutinenſem, antequam ad aliquam Vrbem caſtra poneret, copias in ſua ditione paratas ad ſe euocaturum eſſe, vt itineris impedimenta amici Exercitus patrocinio amoliretur. Sed Duci nihil potius fuit, quàm Valentiam cingere, verens, ne interea Hiſpanorũ auxilia Ciuitatem introirent. Iuſſit deinde Muti-

nenſes copias, quę ex quatuor hominum millibus conſtabant, ad ſe venire: quarum tranſitum ipſe præſenti diſtentus obſidione munire nequibat. Hiſpani nihil timentes ab obſidentibus hoc agmen per Tortonenſem Ditionẽ pergens adoriuntur omnibus viribus, & temerariæ trãſgreſſionis pœnas exigunt. Aliqua equitatus portio ſalutem ſibi in Placentino Solo fugâ quæſiuit: cæteri militari ferro, aut agreſtium inſidijs necati, aut capti ſunt.

Hæc clades non magis extulit Hiſpanorum animos, quam ſtimulauerit Gallos ad Valentiæ obſidionem feſtinandam. Præerat Mediolanenſi Ducatui, & armis Cardinalis Triuultius, qui, licet valetudinarius, & ętate vergente Regis commodum propriæ anteferens ſaluti, cõuenit Exercitum, ſtatuitq; obſeſſę Vrbi ex parte collium ſubuenîre. Miles ſic iuſſus alacriter colles ſubit, expugnatiſque Gallorum munitionibus (quæ à caſtris nimis remotę, nec reliquis operibus continuatæ ægrè defendebantur) ad lineã valli properat; vbi bis acriter confligitur Hiſpanorum profligatione. Qui, cum aggerem circum caſtra ductum tranſcendere nequirent, ad colles reuertuntur, quos ſubinde deſtituunt ſpem Valentiæ ſubueniendi deſpondentes.

Valentiæ propugnatores fidelium militũ partes haud perfunctoriè implebant; nam poſtquam ab oppugnatoribus Vrbis foſſa proſciſſa eſt, adhuc

huc Valentia quadraginta dies tenuit. Quod sicut dictu rarum est, ita partim ad imminutum Gallorum peditatum referendum, partim propugnantium virtuti adiudicandum. Antequã Hispanis interiret Valẽtia, Cardinali Triuultio vitâ functo succeſſit Comes Fuenſeldania Hiſpanus. Hic, vt Valentiã à caſu ſubleuaret, varios edidit conatus, in quorum vno trecenti milites ſe furtim in Vibem penetrarunt: quod ſubſidiũ aliquandiù arcis deditionem prorogauit.

Imperator contra Ducem Mutinæ, cauſatus ab eo Mediolanenſem Ducatum armis infeſtari, Exercitum comparauit, qui, ſi commodum adfuiſſet, Valentiam procul dubio aſſeruiſſet. Serò aduenientes Germani expilationibus, & rapinis perniciem potiùs, quàm ſalutem Mediolanenſibus attulerunt. Comes Brolia Pedemontanus Regi vtilis, Mazarino carus, pẽdente obſidione, ſclopeti ictu pulſatus in capite è viuis exceſſit. Tantarum extinctio virtutum in iſtius viri obitu vniuerſum Exercitum luctu, & mœrore compleuit.

Cap. XVI.

Galli ad Valentienam profligantur. Gesta in Catalonia.

1656.

HOC anno in Belgio longè diuersæ à sperato Gallis res fluxerunt, iniquitate loci, non virtutis defectu protritis. Valentienam amplã Vrbem, populosam, operibus, & situ firmam, quam Scaldis fluuius mediam perlabitur, obsidione circumdederãt. Aquæ istius fluminis naturâ suâ profundo alueo gaudent: artificio quoque ciuium, iniectis quibusdam repagulis, consueto fluxu prohibitę vltra mensurã tolluntur. Hinc fit, vt ad ciuium arbitrium eleuetur fluuius, & loca magis plana, ac decliuia inundatione mergantur. Turena, & Senecterra armorũ Præfecti pontibus quidem Scaldim coiunxerant, vt continuationem castrorum obtinerent: sed grassantibus pluuijs, & industriâ Ciuium aquarũ auctum sollicitantibus ęgrè id impetratum est.

Ioannes Austriacus Hispanorum Regis filius Belgij Prefecturam iniuerat, quò etiam Marchio Carassena, quasi adolescentis magister profectus erat; vt ille auctoritate, & splendore nominis, hic

hic conſilio rei Hiſpanicę miniſtrarent. Vniti Condęo caſtrametati erant propè Gallorũ Exercitũ, vt ſua proximitate inter caſtrorũ anguſtias obſidentes circumſcriberent; ſolertiâ etiam, vigilijs, armorum obiectu, & interceptione commeatuum Gallos à Ciuitate quoque ſollicitatos cõficerẽt, ac importuna defatigatione exhaurirẽt; nec non ex proximo nullam occaſionem à fortuna ingeſtam, qua ſubleuare Vrbem poſſent, morâ corrumperent. Hi commodum erumpentis fluminis tempus nacti Seneterræ Caſtra coactis in vnum viribus aſſiliunt, quæ fruſtra expectatâ Turenę ope fluminis auctu intercepta expugnantur, vniuerſo Seneterræ Exercitu deleto, ipſo Duce inter captiuorum multitudinem recenſito. Turena, intellectâ ſocij clade, inſtructa Acie, ab Hiſpanis ne laceſſitus quidem profectionem Queſnouium versùs adornauit: plus vincentis, quàm victi ſpeciem præſeferens.

Hiſpani ſecundùm hanc victoriã Condæi Oppidum recipiunt: Turena Capellam ad Regis obedientiam pertrahit. Tanta ſanguinis effuſio nullum maius peperit emolumentum partibus, quàm cuique ſuæ Arcis receptionem. Imò Turena Sancti Gislenij periculo euocatus ad vltimos Annoniæ fines permouit Exercitum, Oppidum muniturus: cogens Hiſpanos paulò antè victores ſibi victo, loco decedere. Nulli Principi datum eſt citiùs Exercituum iacturam inte-

grare, quàm Gallię Regi.

Clades Seneterræ effecit, vt in Catalonia arma feriarentur; Gallicis Copijs illuc proficiscẽtibus in Flandriam reuocatis, & Hiſpanis vix lacertos mouentibus. Exactus eſt annus nulla digna re geſta. Quiſque ad agendum impotens aduerſarij motus ſpectabat credens voto defungi, ſi par otiũ vniuerſos oppreſſiſſet, aut non leue lucrũm facere, ſi victoriæ impos nullius cladis compos fieret.

Mathæus Molè primus Parlamenti Præſes, & Sigillorum Cuſtos tertia Ianuarij in viuis eſſe deſijt, cuius tamen fama viuentibus ſemper aſtabit. Vir cum illis vetuſtiſſimis (quos ætas noſtra nũquam delaſſatur concelebrare) certò componẽdus. E cuius geſtis ad animi fortitudinẽ, ad prudentiam, ad ſapientiam, ad fidelitatem nobiliſſima elici poſſunt exempla. Alter Cato Romanæ Reipublicę. Niſi nos tantùm affectaremus antiqua, vt ſemper ad illa recurramus, in hoc longè illuſtriora virtutum ſuppetunt argumenta.

Cap.

Cap. XVII.

Galliarum Rex Lionnam Consiliarium Madritum mittit ad compingendam pacem. Ordo, series, & causæ istius missionis.

1656.

Regiminis exordio Galliarum Reginæ menti vna pacis hæserat conclusio, nihilque magis auebat: dūmodò illam honestæ conditiones comitarentur. Sed modò parùm fida Hollandorum negotiatio, modò tumultus Parisienses, qui Hispanorum animos ad vniuersam Galliarum calamitatem præstolandam erexerant, omnes consertos tractatus interuerterāt. Discusso ciuili bello, cùm sensim imbecillitate depositâ pristinas vires Monarchia resumpsisset, videbatur sibi Regina Hispanos à spe euersionis Gallici Regni, qua tot annos alebantur, deceptos paci subscripturos esse. Quare non desistebat eosdem sensus in Regis animum instillare, qui, alioquì timendum erat, ne ab infantia bello induratus insitam quodammodo armorum ferociam ęgrè deponeret. In Reginæ sententiam Mazarinus quoq; conspirabat. Sed tunc Arbitri non aderant, qui conciliandę paci incumberent: cùm

omnes

omnes Principes Christiani, vel lassati, vel desperantes negotium adeò asperum contrectare non auderẽt: Idemquemet summus Pontifex ab Oratore Gallico instigatus, vt Arbitrum se inter vtrosque Reges ad pacem componendam faceret (promittente à Galliarum Rege arbitrium suum non detrectatum iri) quot difficultates offendisset apud Hispanos, in hac instruenda negotiatione, silentio profitebatur. Omnibus enim liquidò cõstabat summum Pontificem pacis æstuare desiderio. Vnde post multos menses non redditum Oratori Gallico responsum Hispanorum inficiatiónem interpretabantur.

Luculenta indicia dederat Pennerandę Comes Hispanorum Plenipotentiarius animi pacis conclusionem auersantis. E contrà nemo non stupebat (cùm Galliarum res propè diem armorum prosperitate florerent; Hispanorum verò tot cladium infelicitate tabescerent) quomodo ijs iniecta pacis mentio displicere posset. Itaque videbatur hæc Hispanorum à pace auersatio, vel ad malitiam Ministrorum extra Aulam degentium referenda, vel cuidam adscribenda esse verecundiæ, quæ Hispanos vrebat, si victores Gallos faterentur.

Galliarũ Rex, vt has duas anteueniret difficultates, generosum informauit consilium; videlicet vnum ex suis Ministris ablegandi Madritum plenipotentiâ instructum, qui pacis tractationẽ inibi

inibi conficeret. Primâ facie res temerè librantibus infirma hęc videri poterít deliberatio, qua pax ab aduerſario petebatur. Fuit nihilominus conſilij ſatura, & à ſano enata iudicio, omnes tùm moras reſecans, tùm repagula demoliens. Eo in loco erant Galliarum arma, & illud iugum proſperitatis conſcenderant, vt non ex timore, ſed magnanimitate, & prudentiâ hanc prodijſſe ſententiam appareret, quę ad pacem inflexibiles Hiſpaniarum vitans Miniſtros Aulam ipſam adiret, vbi vltima effingi poterant decreta: & verecundum ab Hiſpanorum vultibus ruborem detergeret; impediretque, ne pax ipſis ignominioſa videretur, cùm Galli primò illam petijſſent: immò domi ſuæ eos conueniſſent: His accedebat, vt poſt tot Chriſtiani Orbis deuaſtationes Chriſtianiſſimum Regem ſic pacem inueſtigare ſummè deceret.

Hoc inito conſilio, cùm excellens negotium pari deberet tractari artifice, Rex Lionnã Româ, quò vrgentibus Regni negotijs paucis ab hinc menſibus dimiſerat, Pariſios reuocat. Accerſit quoque è Belgio nobilem Hiſpanum Comitis Pẽnerandæ familiarem, qui teſtis Regiæ ſubſcriptionis extaret in Hiſpanijs, vbi Regius caracter nondum innoteſcebat; & ab ipſo Lionna per hoſtilem Regionẽ iter faciente impedimenta, & pericula comitatu ſuo remoueret. Rex coram Hiſpano ampliſſimam huius tenoris plenipoten-

tentiam, quam Lionnæ tradidit, ſubnotauit.

Ego copiam facio Domino de Lionna, Conſiliario in meo Status Conſilio, componendi, cõcludendi, & ſubſignandi pacis articulos inter me, & Hiſpaniarum Regem Fratrem meum, & Auũculum. Fidem, verbumque Regium oppignero approbandi, ratum habendi, & exequendi quicquid dictus Dominus de Lionna meo nomine cõſtituet vigore præſentis facultatis. Datum Cõpendij prima Iunij milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto.

Deinde ad Hiſpanum conuerſus inquit Rex: Dices tuo Regi me hunc hominem meum ſtatuiſſe Plenipotentiarium ad pacem ſanciendam, quã ego flagranter ardeo, vt ſincerũ erga meũ Auunculum ſtudium teſtificari poſſim.

Lionna eueſtigiò diſcedens, veſte mercatoris in diſſimulationem ſui compoſitus, cum ſuo ductore Madritum peruenit; vbi plenipotentia, tàm luculento iuuãta teſtimonio, non excipitur modò, eique indubitata præſtatur fides; ſed profitentur Hiſpani Miniſtri, ſe clarè in ea diſpicere, quantùm à Galliarum Rege adamaretur pax, & quantum hominem ad ſe miſiſſet, cui illud crediderat, quod alij homini ab exortu duarum Monarchiarum ad id diei creditum non fuerat. Hiſpaniarum Rex Ludouicum de Haro ſuum primũ Miniſtrum ſimili munijt plenipotentia. Exim inter hos duos Regios Plenipotentiarios tres mẽ-

ſes

ses agitati pacis articuli omninò conuenerant : tuncque compacta pax esset, ac tantæ Christiani sanguinis effusioni parsum fuisset; totque cladibus, quas mox subiuerãt, opportunè defũcti fuissent Hispani; ni Condæum Principem à Galliarum Rege in omnes suas Præfecturas, & amplitudines repoti pertinaciter pressissent: qui articulus non consolidatus omnes alios resoluit.

Non abnuebat Galliarum Rex intercessione Hispanici Regis pristinâ Condæũ redonare gratiâ, suaque bona fisco deuoluta remittere; multas quoque ex veteribus amplitudinibus concessisset: sed illum rursus Guiennę Præfecturæ intrudere; Astnęi, Bellagardæ, Clermontij, & tot aliarum arcium custodiam ipsius permittere militibus non durum modò, sed intutum Regi videbatur venenati calicis hausțu degustare pacem, externoque bello liberari, vt sui Regni viscera ægrescerent. Penè ad Hispanorum arbitrium inibatur pax: multa iure belli conquisita illis vltrò remittebãtur: ni hac abutentes facilitate voluissent legem victoribus dare, & ad suum nutũ magnum Galliarum Magistrum, & Gubernatorẽ tot Prouinciarum, ac arcium creari, pernicioſũque exemplum apud Gallos statuere; si semel rebelles concepissent sibi Hispaniarum auctoritate subnixis, nec dignationes, nec Præfecturas vllo vnquam tempore in Gallia defecturas esse.

Finis Libri Quinti.

VARII EVROPAE EVENTVS COMPENDIARIE DESCRIPTI.

LIBER SEXTVS.

Cap. I.

Dux Mantuæ in Hiſpanorum partes concedit. Valentiæ ſubueniunt Galli, & fruſtrà Alexandriam obſident.

1657.

VREBAT Hiſpanos Valentiæ caſus, qui Mediolanenſem Ducatum deformabat aduersùs tot Exercituum inſultus ad eam diem integrum. Nec parùm eos affligebat Mutinẽſis Ducis pertinacia, qui ſpretis Imperatoris iuſſibus, & minis, nec non ipſamet arma aſpernatus non deſtiterat Gallis hęrere, & eumdem Mediolanenſem Ducatum hoſtiliter infectari. Inter has anguſtias viſum eſt illis aliquem ex Italicis Principibus ad arma excire, quæ Mutinenſis alienationem penſarent, & res concuſſas vel proximitate

mitate fulcirent, vel virium aggregatione integrarent. Hoc inito consilio Mantuę Ducem stimulant, qui licet tot beneficijs Gallis obstrictus, rei etiam familiaris iacturæ obnoxius (cum auitos status celebres,& opulentos in Gallia adhuc obtineret) plus recenti Cæsaris dedit affinitati (ex cuius sanguine Austriacam Aenipõtinã duxerat) quàm antiquæ, & iam exoletæ Gallorum amicitiæ tribuerit. Insuper eum tacita ad id cõpulit emulatio, quę inter ipsum, & Mutinę Ducem si non alio magis legitimo, saltem consueto viciniæ fomite intercedebat.

Ditio istius Ducis commoda est ad excipiendas legiones,quæ ab Imperatore in Italiã submittuntur, quarũ Prefectus à Cæsare renunciatus, Mutinẽsi imminẽs,omnẽ illius frænasset conatũ; sed inauguratio tantæ spei, & tot destinatorum cum ipso Imperatore defecit, qui secundâ Aprilis è vita migrauit. Auxilia, quæ Germania Italiæ preparauerat, hac morte exaruerunt, & Dux Mantuæ præsidijs vacuus illud cæpit timere bellum, quod alijs præsumebat inferre.

Mutinensis Imperialium curâ solutus, & nihil mali à Mantuano sibi timens coactum in sua ditione militem ad Exercitum euocauit,quem Princeps Contius, & ipse ad Mediolanensis Status perniciem ductabant. Militares enim apparatus totâ hyeme ab Hispanis sollicitati (quibus non duntaxat Mediolanensis Regio, sed ipsamet stre-

pebat

pebat Germania) maturè hoc anno Gallos Valentiæ anxios in Italiam traxerant.

Contius Princeps, Mutinensis, & Villa Sabaudici Equitatus Præfectus coactis copijs Astā versùs concedentes fecerunt suspicionem Hispanis velle ex ea parte Mediolanensi ditioni se inferere, & Valentiæ appropinquare: Quam Vrbem, ne Gallici commeatus intrarent, totâ hyeme acuratissimè obseruauerant, vehementer cupientes in vltimas necessitates conijcere. Quare, vt destinatum Gallorum iter obstruerent, consilium ceperunt tantò ab Hispanica cautione remotius, quantò euidentioribus circumscribebatur periculis: videlicet Annōnis Oppidum iam antea ab ipsis consultò mœnibus nudatum milite obfirmare, & hoc obice Gallorum cursum compescere, sperantes loci sublimitatem, collapsorum mœniū rudera, validitatem præsidij, difficultatem subuehendi bombardas, easque collocandi in situ ad arcem vexandam opportuno: propinquitatem amici Exercitus, vel diutissimè hostem moratura esse, si obsidionem auspicaretur, vel penitùs obsidionis consilium interuersura. Galli, magis vt numerosum lucrifacerent præsidium ex veteranis constans militibus Duce Comite Sancti Mauritij Burgundo, quàm vt Oppidum adipiscerentur, id illicò circumsistunt: tormenta contra hostis spem appositè librant; ex quorum eiaculationibus breui malè compaginatæ munitiones dissiluerunt

runt; & Burgundus cum omnibus suis militibus, vltimâ cogente necessitate, hosti se mancipauit.

Hac remorâ discussâ Gallicæ Copiæ vlteriùs facessẽtes Valentiâ adipiscũtur, amploq; cõmeatu importato, omniq; ab illa amoto discrimine citrà fluuium Tanarum profectæ tribus Mutinensium millibus, qui per Parmensem Regionem in Mediolanensem Statum flexerant, occurunt: Mox retrocedentes Alexandriam cum vniuerso Exercitu circumuestiunt: Vrbem circuitu amplam, belligeris refertam ciuibus, numeroso defensam presidio, munitionibus ad regulam militarem extructis egregiè circumscriptam, quam fluuius Tanarus interfluens hoc naturali munimento artis opera speciosiora reddit. Obsidentes eam omnes impleuerunt leges, quas obsidio ritè administrata sancire solet: Ciues, & milites præsidiarij vicerunt expectationem, quæ de ipsorum virtute habebatur: Hispani nec labores, nec pericula declinarunt, quibus Vrbem à discrimine possent eximere.

Die sextâ Augusti Ignius de Velandia tormẽtorum Præfectus, qui Exercitus fronti moderabatur, vallũ à Gallis circa Vrbem defossum trãscendit, penetrans vnum ex fortalitijs, quæ vallum protegebãt. Hinc ad Vrbem sibi viam aperuit, & obsidio soluebatur, ni Mutinensis stricto gladio in hostem irruens eâ die & boni Ducis, & impauidi militis vicem impleuisset. Nihilominus

Hiſpani, licet repreſſi tumulum conſcendunt, obuallantque, è quo bombardarum exploſione hoſtem fatigabant. Tabellarium etiam igneis delatum pennis in Vrbem ſubinde mittebant. Tabellarium vocant perforatam, & vacuam glandem epiſtolas in vtero gerentem, quæ à tormentis excuſſa, intermedij hoſtis caſtra præteruolans, obſeſſis mentem ſuorum Ducum exponit.

Hiſpani cum omnibus copijs congredi quoque decreuerant ea nocte, cuius præcedenti die Præfecti Gallici priſtinam Vrbi libertatem reſtituerant retractione Exercitus iam ſibi deficientis, media peditatus parte vel morbo, vel ferro extincta, vel pyrobolis exuſta. Vulnus à Marchione Villa aggerē luſtrante in ore acceptum hanc obſidionem exanimauit. Hic Dux ad recipiendam curationem delatus Aſtam viſus eſt ſecum obſidētium animos abſtraxiſſe & profectò vulnus iſtud, ſtatim ac accidit, priuatum non reputatum eſt, ſed vniuerſam obſidionem lethaliter vulneratam eſſe omnes cenſuerunt. Hæc obſidio menſem extraxit: cœpta decima ſeptima Iulij in decimam octauam Auguſti protracta eſt.

Exijt interea Aeſtas, & totus penè Autumnus nullo militari conflictu inſignitus. Nam Galli equitatu præſtantes deficiebant in peditatu, & Hiſpani peditatu validiores equitatum hoſtili lōgè imparem habebant. Comes Fuenſeldagna Hiſpanorum Præfectus, morbo diſtrictus, regi-

men

men Exercitus Comiti Galeacio Trotto attribuerat, qui equitatu inferior hostilibus populationibus ægrè occurrebat; & Galli pedite effeto nihil commendabilius moliri poterant, quàm commeatibus Valentiæ inopiam subleuare, & contra hyemis injurias hoc remotum munimentum necessarijs munitionibus adeò constabilire, vt hostium conatibus apertis; vel insidiosis vsque ad amici Exercitus reuersionem illuderet.

Mensis Nouember nubibus, & pluuijs affluens iam medius excurrerat; & viæ sensim impediebantur. Hinc acrior subdebatur stimulus Valentiæ consulendi. A Duce Mutine Gabriel à Sabaudia Legatus Sabaudici equitatus præceptus, vt commeatibus, qui ab Astense Ciuitate Valentiã meabant, præsidio esset, ne ab Hispanis, qui eos obseruabant, vim paterentur, illicò ad imperata exequenda se præparat. Vix Monferratensem Regionem ingressus litteras à Valentiæ Gubernatore accipit, quibus docetur quingentos equites Hispanos Frascineti stabulari, vt commeatus inuolent; & pontis structurã, quæ in Pado designabatur, interdicant. Hoc nuncio permotus quingentis Equitibus selectis, reliquis commeatuum custodiæ relictis, Frascinetum contendit ad Hispanos detu bandos, qui illius aduentu cognito obuiàm ei intrepidè procedunt. Obstinatum prælium editur diù dubium, donec Gabriel Marchionem Strigium hostium Ducem secũ sin-

gulari certamine digladiantem in deditionem redegit: quo capto vniuersa acies discussa est: totâ ferè multitudine vel cæsâ, vel vinculis data.

Cap. II.

Momedium, & Sanctus Venantus expugnantur à Gallis. Ab Hispanis S. Gislenius.

1657.

FACINORI non ordinario operam Turena posuerat, ni illud inuidisset fortuna. Ad Cameracum obsidione circumueniendũ animum, & Exercitũ adiecerat; quę Ciuitas ad Galliæ nocendum aliarum omnium Belgij opportunissima, veluti Regios ad se frequentes prouocauit Exercitus, validitate etiam munitionum, & Hispanorum solicitudine toties obstitit appetita. Indulgentiùs cũ Turena non egit fortuna, quàm quondã cum Curtio egisset. Iam militẽ circum hoc Monimentum statuerat, vias impediuerat, & præsidij exilitas ingens felicis exitus spondebat argumentũ. Condę Principis solertia, & animi præsentia ab hac iactura Hispanos redemit, qui præsenti tempto periculo cum valida manu se in Vrbem feliciter induxit.

Turena hac spe depositus Momedij Luxeburgij

gij propugnaculum adoritur. Vibs nullam adhuc obsidionem experta, vulgarem ipsius fortitudinis opinionem longè superauit. Sicuti certũ iudicium de hominis præstantia nequit proferri, nisi postquam fortuna illi obtulit occasionem exhibendæ virtutis; ex cuius periculo vel amplificatur, vel premitur expectatio, quã de se ipso concitauerat; ita de Arcium vel egregiè instructarũ validitate adæquatè sentire non possumus, nisi priùs aliquã illę obsidionẽ sustinuerint, quæ defectus, & perfectiones munitionum, aut loci prodere consueuit. Adeò verum est axioma à sapientibus communiter receptum experientiam esse rerum magistram, vt de ijs etiam, quę sensibus prostituta sunt, absolutè humanus nequeat decernere intellectus; nisi vel probauerit illa, vel aliquod damnauerit experimentum.

Refractarium saxum, cui Momedium incumbit, scalpelli ictibus inobediens suffossiones tardè concepit, quæ nitrato infartę puluere, mox igne excussę sunt, sed dãma lapidis duritie repressa modicũ dedit hiatũ. In angustũ aditũ succedẽtes egregiè milites ab ingruẽtibus supernè telis trãsfixi non parum sanguinis in obtinenda inter illas ruinas statione desudarunt: Qui deinde admodum lentè conscendentes, antequam sublimitatem loci, & præsidiariorum obstinationem perdomuerint, multò plus cruoris, & temporis, quàm ab expugnationis exordio duceretur, obli-

guritum est. Fuit tamen victoria eò excellentior quò laboriosior; & eò vtilior, quò muniimentū vltra communem sententiam firmius adeptum fuit.

Turena Momedio præsidarijs firmato militibus tanta celeritate hinc proficiscitur, vt penè inobseruatus in Flandriam exeat: vbi primo impetu Sanctum Venantum capit. Hoc munitum Oppidum nullis desudatis operibus, explicato duntaxat Exercitu, & oppugnatione inchoata deditur. Breuitas istius oppugnationis longam Momedij oppugnationem penauit. Acquisitio Sancti Venanti Lysiæ impositi, quod flumen inibi ponte consternitur, ad anni subsequentis expeditionem, vt porè ad Dunicherchę expugnationem, quæ digerebatur, admodum opportuna successit. Gubernator dediti Oppidi facilitatem capite Hispanis persoluit, quibus Sanctus Gislenius auxiliorum spe penitùs destitutus redditur,

Cap.

Cap. III.

Dux Mantuæ ab Hispanorum foedere recedens neutrũ se dixit. Abduæ transitus à Duce Mutinæ vi armorum impetratus.

1658.

LICET grassaretur hyems anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi octaui, qua tempestate consuescunt arma deferuescere; non tamen torpebant Gallorum, & Mutinensium animi, qui incalescentes vindictâ aduersùs Mantuæ Ducem æstuabant. Censebant incommodũ tempus commodius futurum ad Mantuanum inuadendum. Videbatur Mediolanensis Regio arcibus interstincta nullum non modò profectum, sed clades potiùs, & iacturas per iniquam tempestatem impetentibus denunciare: E contrà Mãtuana ditio nullis præcincta munimentis hostilibus insultibus patere. Hoc consilium inter Duces agitatum non permiserat Gallicas copias vltrà montes consueta hyemalia repetere; sed vsque ad præcedentis anni exitum in limitibus Mediolanensis ditionis, & Montisferrati retentæ, præter omnium expectationem eam Mediolanensis Ducatus partem (quę vltra Tanarum ad Par-

menſe ſolum extenditur) emenſæ: Parmæ, & Mutinæ Prouincias prætergrediuntur; hinc in Mantuanum agrum immigrant; pluribusq; Caſtellis, & Vicis occupatis vniuerſam Regionem penſionibus bellicis ſubijciunt.

Duo, & decora, & vtilia hac expeditione Galli conſecuti ſunt: nimirùm Ducem (quem iniuriosè ſecum volebant egiſſe) vleiſci, & Exercitum in Solo hoſtili alere, atque collationibus è ſubditis Mantuani Ducis extractis ſaginare. Tertium quoque emolumentum ad eos demum peruenit, cum Ducem, & Hiſpanorum ſubſidijs vexatum, & hoſtilibus maceratum populationibus quieti conſulere perpulerunt, atque arma imprudenter aſſumpta per ſummam prudentiam deponere. Hiſpani comprehendentes exitium Mantuani ineuitabile (vt illum huic eximerent) pacem, quam cum Gallis, & Mutinenſe tranſegit, non dedignati ſunt. Conditio præcipua pacis hęc vna fuit, quòd Mantuanus renunciaret armis, atque Imperatoris confœderationi, & inter Gallos, & Hiſpanos medium ageret.

Inter has hoſtilitates ab initio menſis Ianuarij exortas [quo tempore Gallicus Exercitus in Mantuanum dominium ingruit] vſque ad nonam Iulij diem, qua neutralitatis conditiones obſignatæ ſunt, & armis temperari cœptum eſt, memorabile accidit documentum ijs æſtimandum, qui tutum pacis otium bellorum poſthabent incertitu-

dini

dini; ex quo elucet mortiferis calamitatibus bello inescatos circumscribi.

Aliquas copias in Mantuę subsidium præstolabatur Angelus Tarachia supremus Mantuani Ducis Minister, è cuius auctoritate, & nutu earum in Vrbem ingressus dependebat. Hic litteras dedit ad Ducem Mutinæ, vt copias de suo Exercitu Mantuam mitteret, pollicens se istas prò destinatis in Vrbem admissurum; illumque, & Gallos amplissimæ possessores Ciuitatis præstaturū. Mutinensis fortunæ vices fortasse reputans, generosè respondit; placere Gallię Regi Mantuæ Ducem perstringere, non euertere. Et suas, & Regis partes hoc magnanimo responso excellēter obiuit. Deceb at Mutinensem Vrbis proximę ruinâ vindicē non irritare fortunam. Regi gloriosum erat Mantuę Ducis vnionem cū suis hostibus initam dissuere; illum verò saluare potiùs, quàm perdere.

Pacato Mantuano, Gallisq; facinore, cui nauauerāt, strenuè perfunctis: Mutinensi nulla alia supererat cura æstate iam prouecta, & ad derelinquenda hyberna militem inuitante, quàm Exercitū in viscera Mediolanensis Regionis demittere. Proscinditur hic Ducatus amplissimis fluminibus, quę rapiditate, altitudine, & enormi riparum discretione non nisi arduo, ac ambiguo opere pontibus iunguntur. Gallicus Exercitus populatis Cremonæ Suburbijs, ipsimet Ciuitati ob-

iecta

iecta præteritæ obsidionis specie, toto terrarum tractu cis Abduam adiacenti vastato Regiones [quæ vltra flumen extenduntur, & nobiliorē Status partem constituunt] flagranter appetebat. Huic consilio refragabatur non duntaxat opposita Hispanorum deliberatio eum excludendi, sed natura ipsa. Nam Abdua amnis latissimo, profundoque alueo tam violentus inuehitur, vt reliquos istius Regionis fluuios pernicitate, & vorticū frequentia præcellat.

Comes Fuensaldagna non ignarus quantum è Republica istius fluminis transitu peteretur (cor enim Mediolanensis Ducatus feriebatur) vniuersas copias protegendis ripis applicuerat: subitarios quoque milites, & nobiles exciuit, varijsq; Ducibus loca, quæ tentari poterant, distribuit; vt omnes motus hostium illicò percepti faciliùs compescerentur. Galli nullo terrebantur discrimine ad explorandos aditus, quos aut vado traijcerent, aut ponte inædificato continuarent; sed quòcunque incederent, illa duo semper prestò erant: iniquitas nimirùm fluminis nusquam vada aperientis, & diligentia inimici, qui vlteriorem ripam equitibus, peditibus, tormentis, & munitionibus compleuerat. Aliquibus diebus sine fructu extractis Marchio Giurrij cum turmis, & legionibus secus fluminis ripam progrediens, vigintiquinque mille passus vna nocte emensus, diluceſcēte die decima quarta Iulij ad eā

flu-

fluminis partem peruenit, in cuius opposita situ est Cassani Castrum, cui Comes Fuenseldagna Rosalem Hispanum præfecerat. Galli, diligenter lustrato flumine, conspiciunt in aduersa ripa cymbam, qua indigenæ ad illius traiectionem vtebantur. Dominus de Briarè peditum Dux oblatam gloriam gregarijs inuidens militibus in flumen se deuoluit. Quod generosum exemplum quatuor, aut quinque milites secuti, nando flumen omnes præteruecti in cymbam irrepunt, eãque ad amicam ripam perducunt. Quadraginta hæc cymba capiebat milites; quo onere bis, aut ter feliciter, omni dempta mora, ad hostilem ripam deposito. Dum Galli se glomerant, & in manipulos distribuunt, vt Cassanum inuadant, huius custodes hostiũ impetũ sisti nõ posse rati, nec debiles loci munitiones cõtra ingruentẽ vim tueri, Castro deserto, fuga saluti consulunt. Galli per posticum, quo præsidiarij cum suo Gubernatore euaserant, in Castrum irrumpentes desideratum nuncium ad Mutinensem otyssimè transmittunt, qui festino gressu illuc contendit, nulloque interposito spatio pontis inædificationem auspicatus breui vtramque ripam eo perfecto commisit, totumque traduxit Exercitum.

Fuenseldagna ad primum Gallorum transitus nuncium expedito Exercitu Cassanum festinat, vt hinc hostem detuibet, sed Galli iam numerosi Oppidum insederant. Vnde Hispanus re infec-

tâ Laudem Pompeiam diuertit; mox Mediolanũ ad animos illorum ciuium obfirmandos. Trepidatio in maximas Ciuitates multò acriùs, quam in paruas grassatur: multitudo nempè perterrefacta mole suâ semetipsam obruens, & turbans ægriùs regitur, & malorum remedia in exitium sui adhibet, hostique inexpectatas benè agendi occasiones aliquando suppeditat. Interea Galli Regionem diripiunt, & aluei vsum, quo Mediolanũ annonæ, merceſque conuehuntur, interrumpũt, hostemque Ciuitati hærentem lacessiunt.

Istius transitus culpa ab Hispanis Ducibus in Rosalem Cassani Gubernatorem tota deposita fuit, quòd cymbam contra Fuenseldagnæ imperata reliquisset in fluminis ripa, vnde à Gallis posset educi: quòd transeuntibus Gallis adeò nõ obstitisset, vt vix ex ijs centum cis flumen conspectis, continuò deploratis rebus Mediolanum vsque tanti nuncium infortunij ex fuga se contulerit, ne Funseldagna quidem commonefacto, qui ad primã se defendentis Castri famã illi subsidio properauisset. Quibus postulationibus malè audiens Rosales in carcerẽ clauditur. Huic popularis vox exitialiter ominabatur in recenti facinore, quo dein senescente, causâ æquiùs introspectâ, insonti à iudicibus renunciato libertas reddita est.

Cap. IV.

Tridinum à Duce Sabaudiæ recuperatur.

1658.

INTER hæc Sabaudæ Dux oblatam occasionem, qua Hispani à limitibus suę Ditionis recesserant, prudenter administrat. Eum tędebat Tridini iacturæ, quam Ciuitatem è sua ditione auulserant Hispani, quo tempore bello Gallliarum ciuili graſſante solum in agone destiturum Regio adorti erant Exercitu, & furto quodam belli vsi hoc prędarum Munimentum tenui defensum præsidio occuparant. Auebat Dux vicem hosti reddere, si fortuna deliberationem non auersata esset. Tempus igitur nactus, quo Hispanica arma ad ipsiusmet Ciuitatis Mediolani tutelam se receperant, adhibito prudentiorum consilio, præcipuè Marchionum Planitiarum, & Villæ decernitur opportunitate vrendum esse. Sed, vt res auspicatò procederet, Villa cum illequingents Equitibus Crescentinum, deinde Palazzolũ duo à Tridino milliaria recedęs digreditur; neq; proximitas turbare Hispanos, & vicinę Ciuitatis Gubernatorem extraordinariè poterat cùm quolibet ferè anno Exercitus ad eum locum

castra

caſtra poneret; vt vniuerſæ copiæ, quę hinc inde ſenſim illuc confluebant, in vnum corpus aggregarentur.

Facilè ex inueterata conſuetudine creditum eſt Villam ſuum inibi cogere Equitatum, vt opperiretur aduentum Ducis Mutinæ ad aliquam Mediolanenſis Status partem; quò ipſe ad ſe illi iũgendũ poſſet deflectere. Porrò initi conſilij ſuſpicionem adimebat nullum in caſtris adeſſe peditatum: inſuper Hiſpanis fortaſſè viſum eſt vnas Ducis Sabaudię vires non poſſe aliquod egregiũ moliri, cùm nulle Gallorum copiæ ad eam diem in Pedemontem deſcendiſſent. Ideò nihil tale, quod machinabatur, cogitantibus ſedit paucos duntaxat pedites Vercellis detractos in Vrbem periculo, quod nõ reputabatur, proximã inducere: qua acceſſione quadrigẽtis peditibus, & ſexaginta equitibus illud conſtitit præſidium.

Dum Villa propiùs ſpeculabatur Vrbis ſtatum, Planetia, cui moles rerum incumbebat, euocatis (quantum arcium tutela patiebatur) præſidiarijs militibus profectionem adeò commodam, & promptam ijs adornauit, commeatuſque omnis generis, & arma ad obſidionem inſtituendam, neceſſaria tantâ prouidit ſollicitudine, vt priùs ſe Tridinum ſenſerit obſeſſum, quàm perceperit Exercitum ad ſe properare. Marchio Maroles Legatus Sabaudici peditatus, Comes Catalanus Alferius, & Marchio Sancti Damiani Campiduc-

ductores, ipse Villa Præfectus cum vniuersis copijs, quę ad quatuor hominum millia propè accedebant, nocte, quę Iulij vigesimum diem aperit, Tridinũ inopinati cingunt, omnes calles impediunt, eos potissimùm, qui ad Vercellas pertinent. Datis duobus subsequentibus diebus ad reficiendum militem solis ardore, & itineribus fatigatum, nocte vigesimi primi ad vigesimũ secundum spectante diem Vrbem adoriũtur. Maroles, Catalanus, Sanctus Damianus ad peculiares se conferunt assultus à Villa designatos, qui nullum sibi delegerat, quia omnibus adesse, & munus suum, & virtutem decebat. Marchio Sancti Damiani primus, deinde Maroles (cuius imperata exequebatur Bonardus Verrucæ Gubernator) & Catalanus ęquali ardore sibi attributas Vrbis munitiones subeunt; & vltra imperata, ac spem conceptam proficiscuntur; & quod maximũ est nocte parta die lucescente tuentur. Non modò paucis horis nocturnis externas superant munitiones, sed in ijs tentoria figunt, & militem aduersùs arcis iniurias tegunt, ne apparente luce inde pelli possit. Propugnatores tota nocte bõbardas, & sclopetos in oppugnantes exercuerunt, nec non per pseudothyron egressi Catalanum ex adepta munitione ijs magis infesta exturbare nisi sunt nullo maiori facinore parto post obstinatam luctam, pręter mortem Perachiæ machinatoris.

Villa

Villa accuratè per totam noctem ſpeculatus, quo in ſtatu res eſſent, dandum non eſſe conſternatis interſtitium ratus ſummo mane pacta, quæ ſibi placebant ad Gubernatorem mittit, additis excidij minis, niſi promptè ijs ſubſcriberet. Cóficere ſine aduerſarij interuentu deditionis conditiones eſt multum ſuis fidere viribus, neglectis hoſtilibus. Ingeminauit Villa trepidanti pauorẽ hac cordata rerum ſuarum fiduciâ. Qui interea aduersùs irruptiones, quas obſeſſi inſtruere poterant ad recipiendas munitiones, locis opportunis militem collocat, non minùs animo ad preſtolandum reſponſum ſollicitus, quàm imperio, manuque ad proſequendam oppugnationem paratus.

Circa meridiem eiuſdem diei vigeſimi ſecundi Legati à Ciuitate Villam adeunt de articulis deditionis acturi: cum quibus paululum immutatis ijs, qui in Vrbem tranſmiſſi fuerant, conuentum eſt, vt die ſequenti ad meridiem præſidium Vercellas decederet; & Ciues Sabaudiæ Duci ſe reſtituerent.

Idem Dux cum Planetia eodem veſpere ad Exercitum peruenit gratâ fruiturus oculis victoriâ, & præſentiâ ſuâ ea remoturus impedimenta, quę fortuna breuioribus momentis interponere conſueſcit. Nam Fuenſeldagna ad primum periclitãtis Tridini nuncium Enchenforto cum quatuor hominum millibus ad opitulandum Vrbi citatiſſimum

mum iter indixerat. Pernoctauit Dux apud Villam, posteraque die Vrbem ingrediens duplici triumpho gauisus est: Hispanum nimirùm præsidium hinc depulisse, & suum ius à Mantuę Duce vindicasse. Nam Hispani cótra Clarasci pacẽ, & Imperatoris, Hispanieque Regis assensum olim præstitum, captæ Vrbis politicam administrationem in Sabaudię odium Mantuano permiserant.

Summo iure Dux huius arcis Præfecturam Comiti Catalano Alferio restituit, à qua eum Hispani tunc Præfectũ ciecerant. Ex præsenti nempè deditione integra Catalani elucet administratio: Qui absens in Vrbem amplo Hispanorum Regis Exercitu obsessam, periculis vndique circumuentus se penetrauit, mox ad viginti dies non meliori instructam præsidio, quàm nunc esset, eandem sustinuit, quæ sub hoc tempus tribus diebus à paucis oppugnata perijt, vel potiùs suo Domino reuixit. Tridinum vasto externarũ munitionum circuitu vallatum ad sui propugnationem numerosum exigit præsidium.

Cap. V.

Mortara à Duce Mutinæ expugnatur, qui deinde diuturno morbo conficitur.

1658

HAC feliciter confecta Prouincia Villa ad Mutinenſem tendit, qui contabulato Ticino, refragante nullo [Hiſpanis poſt Abduam ſuperatum deſpondentibus animos flumina tuendi] Mortaræ forti munimento Exercitum admouit. Quinta die Auguſti bombardæ in arcem explodi cæptæ ſunt, & vallum ad tegẽdum militẽ excauatum. Agger aduerſùs mediam lunam ſẽſim productus eſt, quæ vſque ad vigeſimũ primũ menſis diem cuniculis, & furnis oppugnata, tota demum vehementer inſtantibus ceſſit. Hinc, cum iam cunicularius hęreret propugnaculo, preſidium irruptionibus, & propugnatione exeſum imminẽs diſcrimẽ deditione redemit. Villauerius Valentiæ Gubernator graui vulnere in dorſo affectus eſt. Exercitus laboribus oppugnationis, & peſtilentibus iſtius Regionis afflatibus malè habitus in proximas Villas ad reficiendos ſpiritus diſtribuitur. Vigeuani Ciuitas muris exuitur, ne Hiſpani per hyemẽ hic ſtabulãtes Mor-

taræ

tarę insidiarentur, vel Gallici prędidij irruptionem inhibentes angustiores terminos his designarent. Morbi tamen post captam arcem in militum corpora prauis telluris halitibus inquinata, & ardētibus Solis radijs exusta vulgari cœpti sunt, qui ex infima plebe supremos Duces impetētes ipsummet Mutinensem prostrauerūt.

Primus morbi insultus Ducem deprehendit in castris, cui Biellam vecto, mox Sanctam Agatā aeris mutatio non profuit ægritudinis fomitem in visceribus alenti. Decima tertia Octobris hoc belli fulmen extinguitur, quod claritatem sui fulgoris, & crepitātem rerum gestarum famam longè, latèque dissipauerat. Bellicę gloriæ auido cumulatissimè respondit fortuna: sub ipsius auspicijs Mediolanēsis Prouincia, quę iactabatur illibata, duarum iacturâ arcium dehonestata est. Hoc decus, quod post tot expeditiones cæteros fefellerat Imperatores, solus sibi vindicauerat, Mediolanensem Ducatum conculcasse, flumina transmisisse, vel egregiè custodita, totā Prouinciam territasse: Valentiam, & Mortaram ita cepisse, vt retinuerit, omnemque eas recuperandi spem in hostium animis non aboleuisse modò, sed incussisse metum, ne reliqua munimenta, hoc arietante illa duce, dilaberentur. Egregiorum facinorum liberalis remunerator, carus Principibus, vulgo militum acceptus: felicissimo Regi omnia ad fortunæ suę modum exi-

genti abundè ſatisfecerat: Militiâ adeò clarus, & peritus, vt vnâ ſuâ morte viſa ſit fortuna Mediolanenſis Ducatus caſui peperciſſe.

Hiſpani Valentiæ recuperationem inter Mortaræ preſſuras architectati ſunt, magno ſcalarũ, & ad remolienda Ciuitatis oſtia machinarum apparatu ad Vrbem accedentes; ſed conſilium proditum, & frequentes hoſtium excubiæ receptum iuſſerunt. Nocte vigeſimâ nonâ Septembris idẽ illis inceſſit deſiderium (vnâ nimirùm lucubratione tot operibus, quæ ad iſtam arcem expugnãdam exigebantur, defungi) quod firmiori deliberatione editum eſt. In foſſas deſcendunt, ſcalas mœnibus admouent: nituntur in muros: peruicax lucta ſuboritur ad duas, vel tres horas obſtinatè producta, accurrẽtibus ad defenſionem præſidiarijs; qui tandem Hiſpanos cum ſtrage eluctati ſunt.

Cap.

Cap. VI.

Cromuelus Gallos insectatur. Hollandos ad apertū prouocat certamen. Causæ.

1653.

CAROLO secundo Anglorum Rege post mortem Patris bellū reparāte Scotiâ primùm, dein Angliâ fugato: militibus, & Ducibus, qui eum secuti erant, ad vnum, vel cęsis, vel in vincula coniectis: Scotis metipsis, quod Regē in Insulā adsciuissent, eiusq; conatibus suffragati essent, nō in acie modò, sed in ipsa Patria ad victoris satietatē punitis: Edemburgo expugnato, totoq; Scotię Regno perdomito: Hiberniâ, Catholicis exterminatis, subactâ, videbatur sibi noua Anglorū Respublica cōfeciſſe Prouinciam, cum profligatum vndique haberet bellum. Hinc Parlamentum eò verterat cōsilia sua, vt militem exhautoraret; ne superuacaneis stipendijs grauaretur Respublica, & vt Populi abruptione vectigaliū prosperæ fortunæ beneficio frūerentur. Multis quoque ex Parlamentarijs suspecta erat Cromueli potentia, quæ missione Exercitus expirasset, cùm alioquī potiùs ipsi in supremi Ducis essent potestate, quàm ille

ex Parlamenti iussibus dependeret.

Cromuelus, ad quem prægressę victorię magis, quàm ad Rempublicā pertinuerant (quòd propria conquisitæ manu Ducum beneuolentiam, militum studium, omnium existimationē ei conciliassent: Quòd post fusum Regē triunphanti similis Londiniū inuectus Populi plausus, Parlamenti congratulationes, & omnia ea, quę effusa lętitia cumulare solet, percepisset) Exercitus dimittendi vocem ingratissimè accipiebat. Sanè Cromueli opes eam sublimitatem scanderant, vt hinc Parlamenti decreta facilè despicerent: Nihilominus vir callidus, non minùs ingenio, quàm victorijs illustris statuit bella ex bellis serere, vt arma retinendi consilio necessitatem obtenderet, & studiosus potiùs boni publici, quàm affectator imperij existimaretur.

Anglico grassāte bello (cū Anglis domi occupatis nō liceret externas iniurias vel repellere, vel vlcisci) in Galliarū portus eum Oceanū, tū Mediterraneum spectantes multæ onerariæ Anglorum naues pertractæ fuerant, ab ijs oppressę, qui vexillo, & auctoritate Regis Anglici instructi, eas nō secùs, ac indictos hostes prędabātur. Qui ex Anglis iacturas acceperant, apud Parlamentūm, & Cromuelum de iniurijs conquesti causam admodū plausibilē bella cōtinuandi huic exhibuerūt. Volebat Cromuelus Anglis extorta à Galliarū Rege repetere, qui licet ignorationē,

&

& belli ciuilis occupationes legitimè excusaret, omnemq; culpã in Piratas reijceret [qui malè Supremo obtemperantes in pręgressis Galliarũ motibus ad suum nutum maritimas excursiones moderati essent, quo tempore ipse ne dum terrã defendere, tantùm aberat, quod maris libertatẽ restringere posset] Cromueli tamen pertinaciã emollire nequiuit, quin infestam Classem, & prędabundam in mare Gallicum inueheret.

Hæc Anglorũ à Gallis alienatio actutùm Hispanos inuitauit ad amicitiam cum Anglis refouendã; vt hostilitatem inter duas nationes vrgerent, & Anglis hærentes futuræ aliquãdo reconciliationi intercederent. Idcircò magnificâ legatione ex recisa nascentem Monarchia Rẽpublicam primi consalutarunt: gratulatus Hispaniarum Monarcha, quod horrendum, quod abominandum, quod vindicandũ sibi erat. Tãti apud Reges publica fit vtilitas, vt istius respectus omnem abstergat odiosi facinoris verecũdiam. Nec paruum emolumentum ex hac prodiga, & inuidiosa liberalitate Hispanus conscisuit; quippè qui recuperationem Dunichærchæ illi debeat. Classem enim Gallicã ad istius Vrbis subsidiũ velificantẽ Blacus Anglicus Præfectus discussit, naues captas retinens, hominibus in Gallico littore expositis. Causatus se Gallos hostium loco non habere, sed duntaxat eorum res pro rebus Anglo ademptis sibi vindicare.

Hollandos, vel bellum deprecantes hoſtes ſibi quoq; deſumpſit Cromuelus, tum, vt hanc æmulam Rempublicam contunderet, belloq; compreſſam, & parte virium exutam obſequentem ſibi pararet: tum, vt gratam rem præſtaret Anglis; ea ipſis attribuens lucra, & commercia, quę alijs cupiebat detrahere. Piſcatio Harengorum opportunũ præbuit ſuis deſtinatis obtentũ. Proueniunt hi piſces in illa Septentrionalis maris Plaga, in qua Inſulę Orcades conſitę ſunt, quò à multis annis conſueuerunt diuertere Hollandi incredibili Harengorũ feracitate inuitati. Tentauit Cromuelus eos ab hac piſcatione deturbare, aſſerens longam annorum poſſeſſionẽ vſurpationi nullo iuſto titulo pręmunitę adſcribendam eſſe, cum Scotici Regni ditio maria illa complecteretur.

Hollandi (qui retinendę amicitiæ causâ nullum omiſerant officiũ) cum ſentiunt ſe ab Anglo hoſtes vel inuitos deſtinari, vadimoniũ ſuum nequaquã deſerunt. Claſſem mari committunt, & bis Anglos adorti in ſuo Pelago anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo cum iactura fugarũt. In Italia aliquot etiam eorum naues propè Liburni Portũ expugnant, & demergunt. Angli acceptam ignominiam vindicaturi pecuniam cogunt: claſſem intendunt, & anno ſequenti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio ter cũ Hollandis concurrunt,

qui

qui totidem fracti victoriã suis hostibus luctuosam, & adeò cruentam reliquerunt, vt Cromuelus, cùm cerneret sibi rem cum eo esse hoste (qui vel victus certamen cum victoribus eucstigiò instaurabat) pacem ijs restituit, quos voluntariò bello sibi admodum oneroso prouocauerat.

Cap. VII.

Cromuelus Protector Angliæ dicitur.

1653.

INTER hęc Cromuelus (cuius auctoritas, quò maiori bellorum volumine inuoluebatur, eò vehemẽtiùs gliscebat) obseruãs Parlamentũ ad suæ imminutionẽ potentiæ nonnulla moliri, Exercitu Londinium versùs impulso, cum parte copiarũ Vrbem ingressus ejcit Parlamentarios malitiosi increpatos regiminis, statusque consilium efformat. Nouum postea cogit Parlamentum fidis sibi, & benè meritis hominibus coalitum. Quibus iactis ad absolutã Tyrannidẽ fundamentis triũ Regnorũ Protector, Angliæ videlicet, Scotiæ, & Hiberniæ à militibus primùm, deinde ab alijs Magistratibus, & Parlamento ipso promulgatur: Pro cuius amplitudinis administratione iureiurando se ob-

obſtrinxit tria Regna contra quoſcunque perturbatores tueri,& iuſtitiam iuxta conſuetas Patrię leges procurare. A Regio temperans nomine omnia Regia ſibi munia arrogauit Hærco, an hanc aſſumptam dignitatem Cromueli ambitioni,& dominandi libidini(quæ mortales ſubitò occęcat)aſſignem, an potiùs ad aliquam referam operandi neceſſitatem, qua vir eo loco poſitus aliter perfungi nequibat. Experimento comparatũ eſt Monarchias nõ niſi ſęculorum lapſu ſtabilitatem nanciſci. Fieri enim non poteſt immenſam hominum vim, & tantam ordinum diuerſitatem breuì ſe vnanimes diſponere ad vnum hominẽ pro ſupremo Domino venerandum, quin multi recordentur ſe illum aliquando parem habuiſſe: Vnde inuidia, odium, & contemptus exoritur; cur hunc potiùs, quàm ipſos non euexerit fortuna; cur huic parendũ illis ſit, qui eis aliàs obediuiſſet. Hinc fit, vt lõga dominandi aſſuetudo verendos magis filios, & nepotes faciat, quàm primos, qui dominationẽ offẽderũt. Nã, quò magis exoleta eſt primę dominatus originis memoria, eò defixior cuadit obedientia. Iuliũ Cæſarẽ, qui primus Romanũ fondauit Imperium, malè ſe ad parendum æquali Ciui diſponentes interfecerunt: deinde à centum annis illius ſoboles quærebatur, vt ex hac omniũ votis Imperatores crearentur.

Si in condendo Principatu hæc longæuitas requi-

quiritur, quantò antiquior exigitur in constituẽda Republica. Vbi omnes eò ardentiùs ad clauũ administrationis aspirant, quia leges nullũ excludunt: potissimùm, in noua Republica ex euerso Principatu exoriẽnte, vbi, qui suo Regi ex longa maiorũ serie inueteratæ dominationi inserto, & diù regnanti obtemperare recusauerunt, profectò noui Magistratus ex gregarijs hominibus conflati inuitò subibunt imperium.

præuidens igitur Cromuelus hanc orientẽ Rempublicam fluctibus, & procellis concussã, nullo valido rectore moderatam naufragaturã esse; sibique Maiestatis reo, & cęteris commilitonibus pereundum, fortasse imminenti magis ruinâ, quàm dominij auiditate instigatus gubernaculum semel complexus, fortiter, & intrepidè retinuit, seque à non dubio naufragio subduxit. Quo defuncto, cũ nullius auctoritas satis esset ad comprimendum corpus malè cohærens, in tot partes solutâ compagine dissiluit; & penitùs interuersum esset, ni prudenti quidem, sed coacta deliberatione Regem Angli adpetijssent.

Cap.

Cap. VIII.

Cromuelus Hispanos deserens Gallis adhæret. Ipsius expeditiones in Americam, & Europam.

1655.

REBVS Anglorũ in hoc statu cõstitutis visũ est Cardinali Mazarino Cromueli animũ, seu piraticis excursionibus, seu Hispanorũ suggestione in Gallos malè animatũ mitigare. Anglia vadoso mari circũfluа, syrtibus vndique ad perniciem appropinquantiũ præcincta, nauium multitudine, & armamentarijs instructa, externis classibus inaccessa formidabilẽ se cæteris præstat. Imò impunè omnibus infesta est, cùm nullius iniurias pati ferè possit. Supra hanc conditionem (quæ prudentem quemque virum hortatur à simili abstinere bello, ex cuius tãtis, ac certissimis detrimẽtis penè nulla compẽdij spes emergit) Gallia internis motibus, & potentissimo hoste fatigata, Hæreticis cum Anglo religionis affinitate conspirantibus referta Cardinalem impulit, vt procellam illinc suborientẽ negotio potiùs, quàm armis discuteret. Quare Cromuelli mentem per nuncios tentatã non demulsit modò, sed penitùs expugnauit; eumque

ad

ad se pertractum in Hispanos detorsit, atque illorum artibus feliciori arte imposuit.

Verè Cromuelus immeritos Hispanos bello lacessiuit; imò, qui multum apud ipsum, & Rempublicam præstitis meruerant officijs: sed Cromuelus nolebat arma exuere, & quærebat bellũ, quod semetipsum aleret. Batauicæ, & Gallicæ hostilitates Anglicanas opes obliguriebãt, præter vulnera, & plagas nullâ maiori vtilitate decerpta. Hispanicum certamen maxima Anglis aperiebat emolumenta. Vulgò ferebatur Americam præsidiarijs militibus destitutã, & armorũ expertem esse; cum per tot annos domesticis bellis districti gentilitios milites illuc non vexissent Hispani: vnde dabatur copia eam inuadẽdi: quod vnum erat Anglorũ votum in illas beatiores Regiones immigrare, aurifodinis potiri, & ditissimarum mercium Dominos, dispensatoresq; se facere. Cromuelus desiderio permotus de militibus, mercatoribus, & vniuersâ Republicâ benè meritum se præstandi, quanta potuit simulatione hoc bellum digessit; exornans classem (cuius Penum Nauarcum dixit) studiosè rumores dissipans Colonias Gallorũ in Insula Sãcti Christophori positas hac expeditione peti. Et verè Sanctum Christophorũ Classis appulit; sed, vt subsidia Gallorũ inibi exciperet: mox Insulas Barbadas tenuit, vbi aliquot Anglorũ millibus aucta Hispaniolam Insulam hostiliter applicat

plicat. Hìc exſcenſu è nauibus in terrã facto tot periculis ; & tanto maris tractu defunctæ ſub Ciuitate Sãcti Dominici vaſtiſſimæ ſpes naufragarunt. Ab illis enim Oppidanis malè habiti, qui in littus euaſerant ocyus inde pedem referre coguntur. Penus Hiſpaniola excluſus ad Iamaicã naues ſuas eijcit meliori fortuna exploratã, vbi debilioribus aliquibus locis potitus, lõgè citeriorem terminum, quàm conceperat, ſuis poſuit deſtinatis.

Blacus ſecũdus Angliæ Architalaſſus principio Gallis, ſub exitu Hiſpanis minitabundus Mediterraneum circuiuit : nullo maiori fructu, quã procellis exagitatus, & conſumptus in Angliam rediens: quò Penus quoque ex America peruenerat admodum imminutus. Cromuelum aduerſis fortunæ ictibus nondum aſſuetum harum duarum expeditionum infelicitas eò acriùs punxit, quò maiora ſperauerat compendia, imparatum hoſtem, & nihil tale cogitantem tot viribus inuadens. Vehementiùs tamen in Penum exarſit, in cuius expeditione megnarum rerum fundamenta collocauerat. Idcircò malo illius regimini attribuens, quod fortuna ſibi forſitan reſeruauerat, eum in carcerem clauſit. Vulgabatur hanc iuſſiſſe detentionem ad Hiſpanorũ amicitiam retinendã: quaſi Penum ſic plecteret, quòd mandati fines exceſſiſſet, bellum amicis inferendo. Sed hic rumor citò diſcuſſus eſt liberatione

Peni

Peni,& constructione nouę classis ad Hispaniarum oras apertò prędandas inuectæ.

Cap. IX.

Angli aliquas Hispanorum naues auro onustas prædantur,& consilium capiunt in Flandriam mouendi.

1656.

ANNO Millesimo sexcēteſimo quinquagesimo sexto iam prouecto nihil contrà Hispanos hæc tertia expeditio profecerat; littoribus aduersùs descensiones satis munitis, & nullis nauibus, vel negotiatorijs, vel bellicis occurrentibus: cùm repentè decima nona Septembris die haud exigui facinoris opportunitatē casus præbuit. Sex rostratæ naues cum vna tabellaria, & alia Lusitanis abacta ad littus Hispanicum ex occidentali India feliciter iectæ iā stationem Sancti Lucæ appulerant. Hinc placuit Gades discedere, commodiorem stationē, & ijs assignatam Classibus, quæ ad Indias pergunt, & ex Indijs reuehuntur: Duo tantùm milliaria distantes portum Gadium propè tenebant, cùm omnibus disploſis nauiū tormentis referētes Virgini in ea plaga degenti grates ob feliciter

ter peragratum terrarum Orbem, & exhausta discrimina, illud mare enormi sonitu compleuerunt. Claustra Gaditani freti obsidebant octo Myoparones Anglici, qui ex reboãtis aeris strepitu exciti illuc repentè contendentes, Hispanis, antequam possent à Gaditana arce protegi, appropinquant. Longi accisos itineris laboribus facilè expugnãt: ex sex rostratis nauibus duabus igne consumptis, duabus ferro superatis, reliquæ euadunt.

Hæc clades eò Hispanis amarior fuit, quò in propria interierunt Patria, cuius iam dulcedine oblectabantur. Angli quinquagies centenis millibus nummorum lucrifactis, quadringentis militibus, Nobilibus, & Ducibus magni nominis captiuis postliminiò reuertuntur, præteritarum iacturarum mœstitiam solaturi.

Fuerunt hi Cromueli motus haud dispares sæuienti vento, qui postquam longè, latèque baccatus varias Regiones abrasit, postremò nubes in eam detrudit, quam vastari constitutum erat. Americam, & Hispanicam terram Anglicę Classes legerant, illud circumferentes bellum, quod inferre Belgio moliebantur. Cromuelus maritimas Belgij Ciuitates Angliæ iungendi consiliũ ceperat, quasi indignatus imperium suum vndis definiri, ad continentem illud perducere superpiebat. Tum Angliæ popularibus præsens satisfaciebat bellum, qui ambitum maris dominium vi-

videbātur ſibi conſtabilire, ſi Belgij littoribus in poteſtatem redactis maris aditus, cùm liberet, aperirent, & clauderent; ſuumque eſſet eligere quas merces vellent dare, quas recipere, quos mari expediret prohibere, quos admittere. Angliæ Regnū claſſibus frequens proximis Flandriæ portibus ſibi ſemel mancipatis, ipſimet Flandriæ compedes dediſſet, tum Hollandicis, Gallicisque negotiationib⁹ aſperas iniecisſet habenas. Nihilominus maximis Galliam cōmodis affecerunt hæc Cromueli deſtinata, & opportunè Cardinalis Mazarinus hunc hominem ab Hiſpanis auulſū Galliæ nexuit, atque in Flandriam elicuit, quo tempore impenſiùs illo opus erat ſubſidio.

Cap. X.

Vnio Gallorum, & Anglorum aduersùs Hispanos. Hedini, & Mareschalchi Oquincurtij defectio, quæ plus vtilitatis, quàm damni Gallis attulit, qui Dunichercam, Grauelingam, & multa alia Oppida Hispanis adimunt.

1658.

ANNVS milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus octauus, qui Galliæ arma felicitauit, aduerſantis fortunæ præbuit auſpicium. Adeò malè rerum inchoamenta nectuntur cũ exitu, vt plerũque bonæ ſpes in principio conceptæ ad calamitoſum allidantur euentum, & exordiorũ infortunia proſperũ finẽ concinnent. Gubernatore Hedini vitâ defuncto Rex alium renunciauit. Arcis Locumtenẽs hac Regis declaratione vehementer indoluit: quod ſibi exercenti munus demortui muneri propius præfectura nõ deſignaretur: aſſerẽs in bellatorũ pectoribus eueſtigiò militarẽ extingui vigorẽ non enutritũ ſpe defunctorum honoribus ſuccedendi; quę copia ijs iure fieri debet, qui in finitimo ſunt officio. Hoc argumentum ſi infringi nunquã poſſet, abſolutam illam Regum libertatem, auctoritatẽq; penitùs

penitùs vinciret, & ordines tum militares, cum politicos dissolueret. Regibus non vnius, sed plurimorum æstimanda merita sunt; eaque non ex seruientium voluntate, sed Regio arbitrio pésanda. Vna vigeret inertia, & perfunctoriè munera implerentur, si dignitatum vacatio hæreditariâ lege à proximis occuparetur. Non licet subdito Principi suo agenda indicare, sed mandatis acquiescere. Locumtenens diuersimodè ius Regium interpretatus apud præsidiarios non adeptam gubernationem, tanquam communem calamitatem deplorat: spretum se, neglectumq; & eos in se ipso lætaliter vulneratos promulgat: tàm æquã causam deferendã nõ esse, licere sibi ad Condęũ Principẽ prouocare, à quo fauorabilius iudicium obtinere non verebatur.

Hac ad Condęum prouocatione allucinabantur indocti: Satagebant versuti isto populari velamine suam defectionem contegere. Videbãtur inuestigasse rationem, qua arces abducerent, & arma in Regios sine rebellionis nota detorquerent. Hoc medicato hamo præsidiarij à Locumtenente capti sunt, & Hedinum, quod fines Picardiæ tuebatur, Hispanorum propugnaculum factum est. Marescallus Oquincurtius, qui iamdudum similes turbas aucupabatur, statim ac eas sagiuit, velut ad longè acceptissimam prædam cucurrit; defectionem obsi. maturus, si inuenirentur ex præsidiarijs, qui aut cunctarentur, aut

titubarent. Quod officium feliciter præstitit, à custodibus omni formidine, vel hæsitatione patrati facinoris discussâ; tum de triumphato ouans Hedino ad Hispanos, & Condæum processit.

Hedini casum, & Marescalli defectionem æstimantibus ærumnosus Galliæ annus prædiuinabatur. Ludouicus decimus tertius de hoc Munimẽto triumphauerat; qui per euersum propugnaculum in deditam Vrbem conscendere decorum sibi, & hostibus terribile iudicauit, cum nulla arx Belgij extaret tam firma, quæ post Hedinum captũ armis suis non succumberet. Aperuerat Flandriæ aditus, & Atrebatium, multasque alias arces in consensum traxerat. Idcò sicuti ab Hedini iacturâ Artesia, & pars Flandriæ occubuerat; ita recuperatione videbantur acceptæ posse clades integrari. Ad hæc iã in procinctu militares erãt expeditiones, & Hispanorum benè multa manus in Hedinum admissa loca Galliæ finitima expilationibus fatigabat, quæ eò importuniores ijs populis succedebãt, quò ab arcis expugnatione tot iam annis patratâ belli incõmoditatibus absoluti diuturnæ assueuerãt quieti. Nunc inter tot Regis victorias ad antiquas calamitates relapsi meritò fortunam criminabantur. Censebatur has querelas Regem inducturas esse ad Hedinum cingendum, quo obsidionis spatio (quod diuturnum ominabãtur Hispani) aut subsidium attulissent obsessis, aut alterius arcis oppugnatione Hedini iac-

iacturam sarsissent, vel saltem hoc iniecto repagulo apparatus Gallorum militares morati essent: Nam per hanc temporum conditionem multum ad Hispanos pertinebat lucri, cùm nullo recenti ipsorum detrimento annua Gallorum expeditio decoqueretur.

Oquincurtij verò lapsus multas secum trahere ruinas reputabatur, cùm Viro militari, & veterano Duci, nec amicitiæ, nec auctoritas, nec astus ad nocendum Regi deessent: Natura mortalium impensiùs ad lædendum, quàm ad iuuandũ ingenij uires colligente; tùm præcipuè, cùm desperationis stimulo adacta est. Hunc Mareschallũ iam tùm creperę fidei, cum per Peronam Condæo aditum in Picardiam pollicitus esset, licet benignè perstrictum à Rege machinatæ defectionis non pœnituerat. Rex Peronæ præfecturam, quã illi ademerat, ipsius filio attribuerat; ipsum verò post detectũ rebellionis crimẽ incolumẽ dimiserat. Hęc leuissima pœna nedum hominẽ demulserat; quin imò acriùs incẽderat ad circumspectandam occasionem, qua se Regis hostem traduceret. Per illam tempestatẽ rebelles nullis à Rege muneribus affecti, se malè habitos esse querebantur. Eò adoleuerat ista enormis consuetudo deficientes non plectendi; vt Mareschalchi fides labascere sentiretur, nemo tamen manum rebellionem meditanti inijceret. Timebatur enim, ne plures irritaret occultæ molitionis pœna, & in iram potiùs

tiùs Administrantium, quàm in iustitiam reijceretur. Dum hac circumspectione temperatur Respublica, turbas scrutantes diutiùs impuniti nouissimè quietem publicam pessumdabant. Laudabiliùs nihilominus, & æquius fuit Regẽ à Marescallo armato, quàm ab inermi pœnas repetere.

Varias hominum voces hos motus librantium, nec non ipsius malignantis fortunę ictus perfectissimum consilium Gallica arma moderãdi hoc anno vsurpatum illusit. Munimentis Hedinum coronantibus firmiora imponuntur prę-sidia: quibus hostium irruptiones propulsarentur. Cæterùm Exercitus ad interiora Flandriæ deducitur, nihili ęstimatâ Hedini iactura, cuius pertinacia intra arces Gallicas pressa per otium cõtundi posse sperabatur. Ad Dunichercam castra ponuntur, simul Anglorum classis illuc allabitur, exscensioneque facta iunctis copijs pręclari Munimenti auspicatur obsidio. Hispanos proximè ad non vulgares spes excitos Dunicherchæ periculum impensiùs mouit, quò ipsos benignè respiccre fortuna videbatur; cui secundanti vt obsequerẽtur, hostem inuadere, & rem per vnã dimicationem statuunt decernere.

Oquincurtius, qui patrijs honoribus posthabitis nouum hominem in Hispanis castris agebat, vt se vtilem, & frugi virum ostentaret periculosiores prouincias deposcere cogebatur. Indictâ Exercitus profectione Antesignani munus obiuit

ille

ille, cuius officium medij agminis moderationem expetebat. Hic, dum hoſtilium caſtrorum ordinem, & ſtructurã explorat, in Gallorũ turmã incidens, ſclopeto lęthaliter vulneratus in eadẽ caſtra captiuus abducitur. Vltimos mortis præſentientem conatus ſera ſubijt pœnitentia, cuius vt daret indicia, decreuit aliquo erga ſuum Regẽ beneficio illatas iniurias vtcunque rependere. Turenæ igitur ad ſe accerſito reuelat Hiſpanos iter cepiſſe ad Dunicherchæ ſuppetias ferendas. Orat ne differat occupare hoſtem cò perductum, vt refutare pugnam illi non liceat: Marſinum cũ quatuor hominum millibus, & totmentarijs machinis ab Exercitu ſeiunctum: ſtudia Caraſſenæ, ac Condęi inter ſe ſciſſa non ſpernendam opportunitatem exhibere cladis inferendæ. Turena nihil omino hæſitans; quin inſtans mors iuberet Oquincurtium vera confiteri, quantum acceperat aſſuetâ pręcautione, ac diligentiâ ad vſum reuocans, citato agmine hoſti occurrit, cum quo, nullo dato ad cogitandum ſpatio, acie congreſſus, ſolutis ordinibus illius copias, vel obtruncat, vel in captiuitatem abducit, vel diſpallatas agit.

Experimento comparatum eſt etiam aduerſa in proſperos euentus à fortuna conuerti, quod in Oquincurtij exemplo palam delineatur. Quas ruinas iſtius rebellio videbatur Galliæ prænũciare omnes in ſe ipſum, & Hiſpanos euolutæ ſunt.

Fuſio

Fusio Exercitus Hispanorum neruos adeò laxauit, vt intendi amplius non potuerint. Galli, & Angli secundùm hanc victoriam ex animi sentẽtia omnia in Belgio expedita habuerunt.

Dunichercha cecidit, cuius deditionem concomitata sunt Berga, Furnum, Dixmuda. Grauelinga diutiùs oppugnata succubuit. Mox quãdo videbatur glorioſum huius anni adepta finem expeditio, denuò resurrexit adeò alacris, ac si adhuc in principio versaretur. Odenarda, Menenum, Ipera vno penè impetu inuoluuntur. Hispani vndique trucidantur. Ni Rex Lugdunum digressus, quasi tot victorijs exsatiatus Flandriã deseruisset, vel debilibus refocillatus copijs Exercitus validas impressiones feciſſet; nam res Hispana in ea Prouincia admodum minimo numero militum stabat.

FINIS

INDEX LIBRORVM; ET CAPITVM,

Quæ in hoc Opere continentur.

LIBER PRIMVS.

Cap. I. *Vitæ, & Mortis LVDOVICI XIII. Galliarum Regis Epilogus. Conditio teſtamenti. Regina Tutrix declaratur. Cardinalis Mazarinus Primus Miniſter eligitur* Pag. 1

II. *Quo modo ſe geſſerit Regina cum fœderatis, & quæ eſſent opes Principum Europæ.* 7

III. *Pugna Rocroiana. Expugnatio Theoniſuillæ, Aſtæ, Villænouæ, & Tridini per Gallos. Mõſonij recuperatio ab Hispanis. Sueci Olmitzio ſubueniunt: Brinam obſident.* 17

IIII. *Clades Dutlingica. Illatum à Suecis contra Danum bellum. Cauſæ, operationes Bauarorum poſt victoriam. Detentio Ducis Boſortij.* 22

V. *Apparatus militares Galliæ. Tranſiluanus*

in Vngariam mouet. Sueci Danum premũt. Vberlinga cadit, Mota ab Hispanis funditur. Lerida capitur. 26

VI. *Duæ Gallicæ Expeditiones, altera Ducis Aurelianensis, qui Grauelingam expugnat, altera Condæi, qui Philippiburgũ capit.* 28

VII. *Arona, & Finalis infeliciter tentata. S. Agata, & Citadella Astensis à Gallis recepta. Classis Danica à Suecis corrupta.* 31

VIII. *Causæ, & Series bellorũ inter Vrbanũ VIII. Pontificem Maximum, & Odoardum Farnesium Parmæ Ducem vsque ad pacẽ.* 35

IX. *Colmæ transitus. Mardici, Burburgi, Lincy, Meruillæ, Betunæ, Armenteriy, Meneini expugnatio per Gallos. Hollandi Vlista potiuntur.* 42

X. *Rosæ deditio. Transitus Siccoris. Profligatio Exercitus Hispani. Bellaguerij adeptio. Motæ expugnatio,* 45

XI. *Quo in statu res Danorum essent, & pax inter ipsos, ac Suecos. Ansfeldius à Suecis funditur. Pax inter Imperatorem, & Trãsiluanum.* 49

XII. *Vigeuani expugnatio, & Pugna in illa Mediolanensi Plaga, quæ Prò dicitur.* 52

XIII. *Curtræa, Berga, Mardicum, Furnum, Dunichercha Gallis se dedunt. Hollandi cum Hispanis transigunt, Gallis inconsultis.* 55

XIV. *Expeditio Orbitelli.* 58
XV *Plumbinum, & Portolongonium à Gallis expugnantur. Causæ istarum expeditionum.* 61
XVI. *Arcurtius à Leridæ obsidione decuritur. Hispaniarum Princeps moritur. Vrangelius Suecus, & Turena Bauariã expilant.* 67
XVII. *Gesta in Flandria.* 69
XVIII. *Coit Pax inter Hispanos, & Hollandos, inconsulta Gallia. Causæ, & rationes istius Pacis.* 71
XIX. *Ducis Mutinæ, & Principis Thomæ incursiones in Mediolanensem Statum. Lerida frustrà à Condæo tentata.* 77
XX. *Dux Bauariæ inducias pangit cum Gallis, & Suecis, quas deinde frangit. Millander Vrãgelium insectatur.* 79
XXI. *Sueci, & Galli Bauariam expilant. Millãdrum interficiunt. Conixmarcus paruam Pragæ Ciuitatem occupat. Variæ Clades hinc inde illatæ. Altera Pragæ Ciuitatis pars à Cæsareis defenditur.* 82
XXII. *Causæ, quæ Suecum, Gallum, Imperatorem, & Bauarum ad pacem stimularunt.* 85
XXIII. *Infelix Cremonæ Obsidio.* 89
XXIV. *Iperam subigit Condæus. Curtræam recipit Leopoldus. Pugna Lentiana. Gesta in Catalonia.* 92
XXV. *Seditio Panormitana: Causæ, & Exitus.* 95

INDEX

XXVI. *Casus, qui accidit sub initium Panormitanæ Seditionis.* 100

XXVII. *Neapolitanæ seditionis Origo, & Euentus.* 102

XXVIII. *Expeditio Principis Thomæ Neapolim versùs.* 109

LIBER SECVNDVS.

Cap. I. *QVo in statu res Galliarum tunc essent, cùm turbæ Parisienses exortæ sunt. Causæ vniuersales turbarum.* 111

II. *Causæ propiores turbarum.* 120

III. *Classes Parisiensis Parlamenti vniuntur. Reginæ placiditas erga idem Parlamentum. Quid sit Parlamentum Angliæ. Decreta Parlamẽti Parisiẽsis, & Consilij Regij.* 123

IIII. *Bruscellus Parlamentarius in carcerem truditur, qui, tumultuante Parisiensi Populo, restituitur.* 127

V. *Quo tenderẽt Parlamẽti Decreta, & Populi tumultus. Conuulsiones Aulæ. Regina, & Rex Parisijs abscedunt.* 129

VI. *Legatio Parlamentariorum ad Reges, & Principes. Compositio rerum.* 133

VII. *Vnde Funditorum nomen. Necessitas cogẽdi pecuniam, cuius coactioni intercedit Parlamentũ*

lamentũ. Cauſæ, quæ Regem impulerunt ad Pariſios rurſus deſerendum. 137
VIII. Acta à Parlamento, & Rege poſt ipſius diſceſſum. 141
IX. Obſidio Pariſiorum. Parlamentum ab Archiduce Leopoldo auxilium petit. Pax rurſus componitur. 144
X. Poſtulata Ducum Parlamenti. Cameraci obſidio ſoluta. 147
XI. Nouum bellum inter Innocentium X. Pontificem Maximum, & Ducem Parmenſem. Mors Caroli I. Anglorum Regis. 149
XII. Geſta in Italia, & Catalonia. 152
XIII. Quo in ſtatu res Pariſiorum eſſent. Burdigalæ defectio. Cauſæ. 155

LIBER TERTIVS.

Cap. I. Condæus, Contius, Longauilla conduntur in carcerem. Cauſæ iſtius detentionis. Qui ex eorum amicis in exilium acti ſunt. 159
II. Itinera Reginæ Normanniam, Burgundiam, Guiennam versùs. Quid amici Principum poſt eorum captiuitatem egerint. 164
III. Dum Regina in Guienna degebat, varias tenderunt inſidias Funditores, vt Populum

lum seducerent, 167

IV. Acta in Campania, & Picardia. Monsonium expugnatur ab Hispanis. Turena profligatur à Gallis cum receptione Retelli. 170

V. Causæ, quæ amicitiam inter Mazarinum, & Gondium præciderunt. Quo in statu res Principum carceratorum essent. 172

VI. Quibus artibus Parlamentarij vsi sint ad inconciliandum Aurelianensem Mazarino. 177

VII. Aurelianensis cum Parlamento conqueritur, quod Mazarinus suam non probauerit sententiam, quæ concludebat Duci Epernonio Guiennæ Gubernationem abrogandã esse. 180

VIII. Secunda Ducis querela aduersus Mazarinum sua aspernantem consilia, & sincerè secum non agentem. 184

IX. Tertia Ducis in Mazarinum querela, quæ ad Parlamentum delata rem in præceps dedit. Cardinalis ab Vrbe migratio. 187

X. Quanta egerit Regina, vt Aurelianensem ad se pertraheret. Quomodo se cum Populo gesserit. Cardinalis Portumgratiæ petit. 190

XI. Principum aduentus. Reginæ prudentia in moderandis per hanc molestissimã procellam rebus. 193

XII. Guiennæ Præfectura Condæo traditur. Causæ. 197

Regina

XIII. *Regina multos Proceres ad se pertrahit. Cõdæus Parisijs recedit.* 200

XIV. *Acta in Parlamento. Parlamento pro Condæo apud Regem supplicanti responsio à Rege facta.* 204

XV. *Rex apud Senatum perduellionis Condæum insimulat. Altercationes Condæi, & Gondij in Senatu.* 211

LIBER QVARTVS.

Cap. I. *REx maior à Parlamẽto declaratur.* 217

II. *Constitutiones Regis maioris. Oratio Marchionis Castrinoui ad Regem. Eiusdem responsio.* 220

III. *Condæi apparatus. Rex, & Regina eum insequuntur.* 224

IV. *Condæus Burdigalam ingreditur. Ipsius expeditiones militares. Ad Coniacum fugitur. Rupellæ Turres à Regijs expugnãtur.* 229

V. *Rationes, quæ proponuntur Cardinalis Mazarini ad ministerium reuocandi. Ipsius reditus.* 231

VI. *Parlamenti edicta contra Mazarinum. Rex ipsum protegit.* 235

VII. Dux Roanus à Rege deficiens Exercitum Regium contra Andegauenſem Ducatum à Guienna pertrahit. Andium expugnatur. Res Guiennæ. 237

VIII. Condæus in Pariſiorum viciniam ab Aquitania regreditur: Oquincurtium fundit. 240

IX Mentio pacis fruſtra illatæ. 243

X. Rebelles ad Eſtampenſem Vrbem profligãtur. Ipſa Vrbs obſidetur, cui Dux Carolus Lotharingus ſuppetias venit. Obſidio ſoluitur. Lotharingus in Flandriã remeat. Ad Suburbium S. Antonij confligitur. 246

XI. Palatium publicum Pariſienſe crematur. 251

XII. Pariſienſes cum rebellibus amicitiam dirimunt, & Regi ſe reſtituunt. 254

XIII. Parlamentum Regi ſe ſubmittit. Nemoroſius à Bofortio interficitur. Contentio inter Condæum, & Comitem Rieuſium. Mors filij Aurelianenſis. 258

XIV. Cardinalis Mazarinus ab Aula recedit. Dux Guiſius carcere ſolutus ex Hiſpanijs Pariſios venit. Rex cum Principibus conuenire non potuit. 260

XV. Rex Pariſios ingreditur. Dux Aurelianenſis cum ſuo comitatu decedit. Parlamentum leges accipit. Acta à Condæo, & Turena in Picardia. 264

LIBRORVM, ET CAPITVM

LIBER QVINTVS.

Cap. I. *Portolongonium ab Hiſpanis recipitur à quibus fruſtrà Aſta tentatur.* 269

II. *Marchio Caraſſenæ Pedemontem expilat.* 273

III. *Tridinum, Creſcentinum, & Caſale ab Hiſpanis expugnãtur.* 276

IIII. *Obſidio Barcinonis Dunicherchæ, & Grauelingæ ex voto Hiſpanis ſuccedit.* 280

V. *Arcurtius Aquitaniã deſerens Briſacum adit. Angolemus iuſſu Regis in Carcerẽ trahitur.*

VI. *Detentio Cardinalis Rethij. Cauſæ.* 288

VII. *Mazarinus Pariſios ingreditur. Multa promulgantur edicta ad pecuniam cogendam. Burdigala ad Regis obedientiam reducitur* 294

VIII. *Bellagarda Regijs deditur. Rocroia ab Hiſpanis ſuperatur. Galli Muſſonium, & Sanctũ Menoldum capiunt.* 301

IX. *In Catalonia Caſtilio à Gallis capitur, qui obſidionem Gironæ coguntur deſerere. Velitationes in Italia inter Grancæum, & Caraſſenam.* 306

X. *Qua vi, & induſtria Arcurtius Alſatiæ Moderator ad obedientiã perductus ſit.* 310

XI. *Comitiſſa Martinozza Mazarini Neptis Principi Contio denubit. Carolus Lotharin-*

gus

gus ab Hiſpanis cohibetur in vincula. 316

XII. Galli Aſtnæum expugnant. Atrebatium propugnant. Quæſnouium, & Clermontium capiunt. 319

XII. Expeditio Ducis Guiſij aduersùs Neapolitanũ Regnum; Geſta in Catalonia; & Mediolanenſi Ducatu. 323

XIII. Mutinæ Ducatum inuadit Caraſſena: cauſæ inuaſionis, & exitus. Papiâ nequicquam obſeſſa. 328

XIV. Landrecius, Cõdæus, Sãctus Giſlenius à Gallis capta, ipſo ducente Rege. Proditio Mareſcalchi Oquincurtij detegitur. Dux Franciſcus Lotharingus ad Regis Galliarum ſtipendia commigrat. Geſta in Catalonia. 334

XV. Princeps Thomas à Sabaudia moritur. Dux Mutinæ, & Mercurius Præfecti Gallici Valentiam expugnant. Princeps Mutinæ Mazarini Nepotem ſibi in matrimonium iungit. Hiſpani Mutinenſes fundunt. 337

XVI. Galli ad Valentienam profligãtur. Geſta in Catalonia. 342

XVII. Galliarum Rex Lionnam Conſiliarium Madritum mittit ad compingendam pacem. Ordo, ſeries, & cauſæ iſtius miſſionis. 345

LIBER

LIBRORVM, ET CAPITVM LIBER SEXTVS.

Cap. I. Dux Mantuæ in Hiſpanorum partes concedit. Valentiæ ſubueniunt Galli, & fruſtrà Alexandriam obſident. 350

II. Momedium, & S. Venantus expugnantur à Gallis. Ab Hiſpanis S. Giſlenius. 356

III. Dux Mantuæ ab Hiſpanorum foedere recedēs neutrum ſe dixit: Abduæ tranſitus à Duce Mutinæ vi armorum impetratus. 359

IV. Tridinū à Duce Sabaudiæ recuperatur 365

V. Mortara à Duce Mutinæ expugnatur, qui deinde diuturno morbo conficitur. 370

VI. Cromuelus Gallos inſectatur: Hollandos ad apertū prouocat certamen: Cauſæ 373

VII. Cromuelus Protector Angliæ dicitur. 377

VIII. Cromuelus Hiſpanos deſerens Gallis adhæret: Ipſius expeditiones in Americam, & Europam. 380

IX. Angli aliquas Hiſpanorum naues auro onuſtas prædantur, & conſilium capiunt in Flandriam mouendi. 383

X. Vniō Gallorum, & Anglorum aduersùs Hiſpanos. Hedini, & Mareſcalchi Oquincurtij defectio, quæ plus vtilitatis, quā damni Gallis attulit, quæ Dunichercam, Grauelingam, & multa alia Oppida Hiſpanis eximunt. 386

LECTOR

Typographi errata ſic corrige.

PAgina 24.	linea 3.	Portorim,	lege Portoriũ
32	lin. 24.	munitionibus	inunitioribus.
116.	lin. 13.	honorficè	honorificè
121.	lin. 2.	fuiſſent, in ipſo	fuiſſent, vel in ipſo.
135.	lin. 16.	expepedire	expedire
178.	lin. 9.	axcanduiſſe	excanduiſſe
195.	lin. 15.	de Regina	de Regia
207.	lin. 17.	critroque	citroque
209.	lin. 1.	euadebat opinionem	euadebat eam abolere opinionem.
210.	lin. 22.	exilium	exitium.
243.	lin. 4.	nimrum	nimirum
273.	lin 11.	Abadeladio	ab Alladio
286.	lin. 2.	expugnationẽ	expectationẽ
303.	lin. 12.	Somam	Somonam
306.	lin. 2.	percepro	percepto
309.	lin. 4.	offerat	afferat
348.	lin. 21.	præſtabatur	præſtatur
379.	lin. 6.	marioum	maiorum
381	lin. 19.	Diſpenſatoreqſue	Diſpenſatoreſque
381.	lin. 22.	potuti	potuit
388.	lin. 1.	præiſtitit	præſtitit
391.	lin. 17.	nihil omino	nihil omnino.


VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA
ROMA